
PETER
SEABY
B

# VINCENTII BELLINI
## FERRARIENSIS
# DE MONETIS ITALIÆ
## MEDII ÆVI
HACTENUS NON EVULGATIS
QUÆ IN SUO MUSÆO SERVANTUR
UNA CUM EARUNDEM
ICONIBUS
# DISSERTATIO.



FERRARIÆ MDCC[illegible]


Typis Bernardini Pomatelli Impressoris Archiepiscopalis
SUPERIORUM PERMISSU.

# VINCENTII BELLINI
FERRARIENSIS
# DE MONETIS ITALIÆ
MEDII ÆVI
HACTENUS NON EVULGATIS
QUÆ IN SUO MUSÆO SERVANTUR
UNA CUM EARUNDEM
ICONIBUS
DISSERTATIO.



FERRARIÆ MDCCLV.

Typis Bernardini Pomatelli Impress. Archiepisc
SUPERIORUM PERMISSU.



ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO VIRO

# DONNO ALPHONSO VARANO

*DE CAMERINO.*

VINCENTIUS BELLINI.



Uo tempore de Italicis medii ęvi Monetis ſcripturus eram Diſſertatiunculam, Vir Illuſtriſſime, & Excellentiſſime, futurum putavi nunquam, ut eadem typis illuſtraretur, aut mihi aliquam apud non ignobiles Viros eruditionis opinionem acquireret. Ve-

rùm admiratione commotus ſum maxima, cum a Te Viro ingenuarum Artium ſcientia tantoperè expolito, hoc ingenii mei Opuſculum pertenue quidem, ac perexiguum, non toleratum modo, ſed benigniter etiam exceptum eſſe intelligerem. Quapropter cępi me continuô putare aliquem; cumque illud ſit mihi exploratum, laudem eſſe omnium maximam a laudato Viro laudari, temperare mihi non potui, quin ſcriptionem hanc meam ullo pretio dignam exiſtimarem fretus præſertim judicio tuo. Judicio tuo, inquam, Vir Illuſtriſſime, & Excellentiſſime, qui non mea tantum, ſed omnium omninò Litteratorum ſententia digniſſimus es ſemper habitus, cui prima ſubſellia inter politiori litteraturæ addictos homines tribuantur. Hæc me omnium potiſſima movit cauſſa, ut Diſſertationem hanc ipſam duobus ab hinc annis prælo commiſſam, & publici juris factam, limari a me aliquantulum vellem, ne fierem omnino indignus ea eruditionis fama, quam graviſſima judicii tui auctoritas excitaverat. Hæc itaque, quantum per ingenii mei vires licuit, expolita ſe iterum recipit in tuam fidem, ac patrocinium, eadem non deſperans benignitatis officia, quibus a te primùm excepta eſt humaniſſimè. Occurrent tibi frequenter in hacce Opella Majorum tuorum aliqui, qui geniti ſummo loco non obſcuram Italiæ partem ſuis legibus ſubditam cognoverunt. Valent hi quidem apud omnes multa militaris diſciplinæ opinione: ſcientiarum autem eruditionem ab his ipſis propterea deſideramus, quòd eos maximè ab litterarum adeptione abſtinuerit ea, quam vivebant, barbara ſatis ætas, & impolita. Accidit autem ad ſingulare Patriæ hujus ornamentum, ut Te boni Superi ab eodem conſpicuæ nobilitatis fonte ad noſtra hæc tempora

feli-

feliciſſimè derivarent. Eum enim in Te Hominem Ampliſſimum jure optimo commendamus, qui Genus tuum titulis, affinitatibus, opibus, & egregiè factis perhonorificum, morum integritate, & ſumma liberalium Artium eruditione unus omnium amplifices. Quæ Artium ingenuarum ſtudia etſi Majorum tuorum alicui, excuſſa barbarie, in deliciis aliquando fuiſſe non ignoramus, nec ampliſſimæ Varanorum Stirpi defuerit perrari Fęmina ingenii, quæ ſecum ipſa doctrinæ & dicendi copiam conjungeret, neminem tamen tuorum unum tanta ſcientiarum facultate pollere cognovimus, quantam in Te omnes, & Oratoriæ, & Poeticæ Artis poſſeſſione conſpicuo, ſuſpicimus, & admiramur. Nolo fidem hominum in hoc meo dumtaxat tuæ doctrinæ judicio conquieſcere. Oculos in Tragędias illas duas coniiciant, quas Summis Viris inſcriptas luce donari ad præcipuum Litterariæ Reipublicæ emolumentum ſapientiſſimè voluiſti. Nihil ſanè iiſdem gravius, nihil elegantius, politius nihil, nihil quod non omninò eum Virum ſignificet, qui ſuperiorem in hoc Carminum genere neminem pati poſſit. Sed jam ab eo tempore cùm omnium Eruditorum animos jucundiſſima tantorum Operum promulgatione excitaſti, cęptum eſt ab iis velle vehementius, ut ſuam eruditionem celeri eorum Carminum editione adjuvares, quæ a tua modeſtia nondum obtinuerunt, ut in conſpectum noſtrum typis conſignata prodirent. Huic verò modeſtiæ tuæ plus indultum eſt hactenus, quàm univerſa poſſit hominum expectatio, nedum utilitas tolerare. Fac ſatis, Vir ampliſſime, aliorum expectationi, & copioſam inſignis litteraturæ ſupellectilem illis tenebris libera, quibus jampridem non ſine detrimento noſtræ eruditionis maximo deliteſcit. Hæc de Te parva, Vir Illuſtriſ-

ſtriſſime, & Excellentiſſime ſcribenda conſtitui, non quòd neſciam hæc nobilitatis, & ingenii tui argumenta ſatis eſſe unicuique perſpicua, ſed quòd nolim ab alienis commendationibus haſce meas, licèt exigui ponderis, ſeparari. Reliquum modò eſt, ut iterum meum Tibi, tuæque benignitati commendem Opuſculum, cujus totam laudem in eo ponendam eſſe arbitror, quòd pręclariſſimo Nomini tuo inſcriptum, in lucem prodeat.

*Ex Ædibus meis Parochiali. Caſſanæ*
*Prid. Non. Novembris MDCCLV.*

# VINCENTIUS BELLINI
## FERRARIENSIS
# LECTORI BENEVOLO
## *S. D.*



*E mireris, amice Lector, quod ego null'us litteraturæ homo de Nummis, priscis temporibus in Italia signatis, ausus sim disceptare, cum constet non paucos ævo hoc nostro eruditissimos, clarissimosque Viros, Muratorium scilicet, Vergaram, Argelatum, aliosque in iisdem evulgandis feliciter desudasse. Quid ergo, inquies, exiguos post largissimam aliorum vindemiam dispersos hinc inde racemos colligere opus est? At scito me ab ineunte ętate acri naturæ impulsu Imperatorum Romanorum Numismatum, ac Monetarum studio impense operam navasse, Nummosque non paucos ex omni metallo in Italiæ nostræ Officinis barbaris Sæculis percussos, nullis parcendo expensis, longo labore, ac tempore congessisse; quibus in perscrutandis, ac diligentius examinandis, cum ultrà centum, qui ad horum præstantissimorum Virorum manus non venerant, & a nemine hactenus, quod sciam, evulgatos conspexissem, huic tam eleganti, doctoque studio deditis, rem gratam facturum, si publicæ luci mandassem, meditabar. At ab ingenii mei tenuitate in diversa trahebatur animus, nec sane provinciam hancce sumpsissem unquam, ni mihi stimulos, animosque addidisset Philippus Argelatus, cujus diligentia, assiduisque curis, ut quamplurima antiquitatis monumenta vel aucta, vel enucleata typis denuo mandarentur, aut tenebris consepulta exoptatum lumen assequerentur, effectum est. Hujusce ergo Viri inhærens curæ, duobus ab hinc annis, de Monetis hujusmodi Dissertatiunculam, angusto nimis duorum mensium interstitio exaravi, eamque illi Mediolanum misi, ut eam in initio Quintæ Partis illius Operum* De Monetis Italiæ, *per eum evulgandæ, ut erat mihi pollicitus, insereret. Et sane*

*de hoc*

*de hoc meo Opusculo, Lectores in ejus Epistola in fronte Quartæ dictorum illius Operum Partis, certiores fecit, illudque curavit imprimi, ac mihi nonnulla illius exemplaria absque Impressoris nomine, & loco transmisit, quæ inter Patriæ meę studiosos Viros volui distributa, cujus alterum, quo facto nescio, cum ad illius manus, qui Litteratorum Diarium Venetiis conficit, forte pervenisset; hic de prædicto Opusculo meo eruditis Scientiarum Viris notitiam præbuit, illud impressum Ferrariæ ex errore recensendo. Cęterum Argelato, Quinta suarum dictarum Operum Parte nondum evulgata, sub hujusce initium anni e vivis erepto, eandem Dissertationem, ei sex & quadraginta supra centum Monetas superaddendo, iterum hic Ferrariæ typis dandam, optimum duxi. Monetas omnes, quas hic insculptas videbis, eas in meo Musæo servari scito, perpaucis tantum, ad Varanorum, atque Bentivolorum Familias spectantibus, exceptis, quæ cęteroquin penès Exm̃os Dños Alphonsum Varanum, & Guidonem Bentivolum de Aragonia, dictarum Nobilium Familiarum inclyta Germina, existunt; nec non iis etiam demtis, quæ asterisco notantur, quas tenet Patavii eruditissimus D. meus Joannes Abbas Brunacci, qui* De re Nummaria Patavinorum *egregiè scripsit, & in contexenda Ecclesiæ Patavinæ Historia ad præsens pro viribus detinetur. Lucubratiunculam hanc meam humili, ac faciliori, prout ipsa materies exigit, stylo exaravi, eamque, ne nimio illam legendo tędio afficiaris, historiolis exornare duxi (de Varanorum Familia fusius aliquid a me dictum est, quippe qui celeberrimo hujusce Familiæ Viro hoc Opusculum inscripsi) quæ licèt eruditissimis Viris supervacaneę judicari possint, minus tamen doctis, non inutiles easdem fore autumo. Hanc ergo, qualiscunque ea sit, meo tamen marte elaboratam, æquo animo accipe benigne Lector, & si quæ minùs rectè exposita, aut parum eleganter explicata videbuntur, da veniam, hominem quippe me esse novi, qui errare potui, nec errata defendam, at felicioribus potius, atque eruditioribus ingeniis corrigenda relinquam. Vale*

DE



# DE MONETIS ITALIÆ MEDII ÆVI HACTENUS INEDITIS.

## ANCONÆ.



E Nummis hucuſque a nemine, quod ſciam, evulgatis brevi tractaturus, ab Urbibus juxta Alphabeticum ordinem, neglecta temporum ſerie, quibus jure cudendi donatæ ſunt, exordiar. Quocirca mihi primo ſe ſe offerunt loco octo Anconæ ſignati, quorum explanationem hic exhibeo. Primus ergo argenteus num- I.
mus exhibet in margine hanc inſcriptionem P. P. S. QVIRIACVS, quatuor poſtremis litteris in area in formam crucis diſpoſitis. Is eſt Sanctus Quiriacus Anconitanæ Urbis Protector. Illæ duæ litteræ P P. quamvis alibi ſignificent PAPA, in hoc tamen nummo ſecus interpretandę ſunt, hoc eſt, ut cenſeo, *Perpetuò Patronus*, ſeu *Perpetuò Protector*. Nullus enim in Pontificum Cathalogis hujus nominis occurrit Pontifex, toto cęlo aberrante Scriptore, qui in Virginum narratiunculis Sanctam Urſulam a Quiriaco Pontifice in itinere fuiſſe comitatam evulgavit, enarratione uti fabuloſa a Viris doctiſſimis refutata. Poſterior pars hiſce litteris ſignatur DE ANCON. & in medio A. quatuor parvis roſis ſuperius ad latera, & infra diſpoſitis.

II. In antica ſecundi argentei nummi ſignata eſt inſcriptio P. P. S. QVIRIACVS. In gyro averſæ partis Equulus inſpicitur, Anconitani Stemmatis pars ( hujus enim Urbis Teſſera Vir eſt cataphractus Equo inſidens ) quem ſubſequuntur litteræ DE ANCON, & in medio A, cujus ſuperior, & inferior pars, non ſecus ac latera, à quatuor aſteriſcis circumdantur.

III. In tertii ex argento non utique puro conflati nummi limbo circumſtant litteræ SCS QVIRIA. in area CVS, ſcilicet *Sanctus Quiriacus*. Altera ex parte Crux his vocibus circumſcripta DE ANCONA. Nummus hic haud multum differt ab evulgato a Clariſſimo Muratorio ſub n. 1. demtis litteris SCS pro duob. P. P. in illo obſervatis.

IV. In anteriori quarti ęrei nummi parte oſtenditur Crux, & Epigraphen EPS. S. QVIRIACVS, nempe *Epiſcopus Sanctus Quiriacus*. In poſticæ circuitu legitur DE ANCONA, & in medio ſtat A gotico excalpta charactere, parvis circulis circumſepta. Hujuſce ſanè nummi inſpectio, ſicuti & ſexti, ſatis probat falſum eſſe, Sanctum Quiriacum Anconitanæ Urbis Protectorem, fuiſſe Summum Pontificem; litteræ enim EPS. EP. hoc eſt *Epiſcopus* omnem auferunt ambigendi locum.

V. Quintus ęreus nummus Crucem præfert, & litteras P. S. QVIRIACVS nempe *Protector Sanctus Quiriacus*. In averſa facie DE ANCONA, & in medio A. Æneus alter penes me ſervatur nummus eadem inſignitus inſcriptione, diverſa tamen Cruce, & duobus P. P.

VI. Sextum argenteum nummum ſtantis Epiſcopi illuſtrat imago, dextera benedicentis, ſiniſtra pro paſtorali virga Crucem ſuſtinentis, cum epigraphe EP. S. QVIRIACVS. At quid de Sancto Quiriaco dicendum eſt, quod prius non dictum ſit? Poſtica Crucem oſtendit, & Lemma de ANCONA.

VII. Ad Sęculum XV. uti ex characteribus dignoſcitur ſpectat ſeptimus ęreus nummus. Repręſentat hic Sanctum Epiſcopum ſtantem, elevata dextera ad benedicendum, ſiniſtra Pedum tenentem, additis in circuitu his vocibus EP. S. QVIRIACVS. A tergo binæ Claves decuſſatæ, ſparſo funiculo alligatæ cum litteris ANCON D. CIVITAS. FI. ſcilicet *Ancon. Dorica Civitas Fidei*, ſeu *fidelis*.

VIII. Octavus argenteus nummus Sancti Quiriaci Imaginem ſtantem præfert ſiniſtra Crucem tenentis, dextera benedicentis, cum inſcri-

inſcriptione circumducta P. P. S. QVIRIACVS. In medio alterius partis Anconitanæ Urbis Inſigne, in limbo Claves ad formam Crucis connexæ ſubſequentibus vocibus. ANCON DORICA CIVITAS FI. Sane Anconitani a Doricis Urbem fuiſſe conditam arbitrantur, ex illo Juvenalis verſiculo =

*Ante Domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon.*

At Plinius, Strabo, aliique priſci, & fide digni Auctores, a Syracuſanis, Dionyſii Tyrannidem fugientibus, conditam fuiſſe ſcripſere. Leander porrò de Albertis haſce Scriptorum auctoritates ſic conciliari poſſe opinatur, a Doricis ſcilicet, a fundamentis erectam, a Syracuſanis auctam. Cęterum quidquid de hoc ſit, Urbem hanc in ditione fuiſſe Romanorum, quamdiu illorum ſtetit Imperium, dein Gothis, & Longobardis paruiſſe, ex hiſtoriis abunde colligitur. A Saracenis dein incenſa, & a Civibus paulatim inſtaurata, in ſua poteſtate eſſe cępit, ſalvo tamen clientelari jure Pontifici Romano ( ut e Clavibus decuſſatis, in his duabus, aliiſque hujus Urbis excalptis Monetis evincitur ) cui ſemper Cives obedientiam, fidelitatemque præſtitere. At cum Clementis VII. juſſibus parere renuiſſent, Ludovici Gonzagæ Pontificiarum Legionum Præfecti, nec non Bernardini Barbæ Caſalenſis Epiſcopi artibus, ea, qua fruebantur libertate, Anno ab Orbe redempto MDXXXII ſpoliati ſunt.

I



II



III



IV



V



VI




 VII.

VII




VIII



# ARIMINI.

I. MOnetis ab Officina Anconitana percuſſis jam explicatis, Arimini ſignatæ ſuccedunt, quarum prima ęrea argento admixta Sancti evincit Martyris Imaginem, palmam dextera ſuſtinentis, cum inſcriptione S. IVLIANVS. In adverſa parte Crucicula octo radiis aream totam occupantibus circumdata, & litteræ G. P. D. ARIMINI, quæ meo videri ſonant *Giſmundus Pandulphus Dominus Arimini*. Erat Sigiſmundus Pandulphus ex Pandulpho de Malateſtis natus, quem Pater, ſicuti & Robertum, & Dominicum, aliàs Malateſtam Novellum vocitatum, Brixiæ ſibi poſt mortem Joannis Galeatii Mediolani Ducis per dolum, ac vim vindicatæ, ex nobili Concubina ſuſceperat. Pandulpho Anno Chriſti MCCCCXXVI, & Carolo fratre triennio poſt e vivis ereptis, filio legitimo ſuperſtite ex Malateſtis nemine, Robertus major natu in Arimini Dominatu ſubrogatur, qui vix triennio completo morte præventus, Sigiſmundum fratrem Succeſſorem reliquit, a quo hic nummus percuſſus eſt. Murat. Rer. Ital. Script. Tom. xv.

II. Ad eundem Sigiſmundum, ut cenſeo, ſpectat etiam alter hic ex argento non puro conflatus nummus, in cujus antica viſitur Sanctus Gaudentius Ariminenſis Urbis Paſtor, & Patronus, cum Mitra, & Paſtorali virga, dextera benedicens, litteris in gyrum poſitis S. GAVDECIVS. In poſticæ limbo nitidis characteribus legitur S. P. D. ARIMINI, hoc eſt *Sigiſmundus Pandulphus Dominus Arimini*. In area oſtenditur flos, ſeu roſa, quam Symbolum Sigiſmundi reor; Roſa enim inter cętera marmore inſcalpta cernitur in Divi Franciſci Templo ab eodem Sigiſmundo Arimini condito Anno MCCCCL.

AR-

I II






# ARRETII.

ARiminenſibus deſcriptis nummis, proxima nunc erit cura ab Arretinis percuſſos hic exhibere; Ex hiſce tres nondum evulgatos expono, ęneos binos, argenteum alterum: ęrei primi utramque faciem par implet Icon Teſſeraria, in quę ſeni obſervantur ſignati laterculi præſtantiſſimæ Petramalæ Familiæ Inſigne; Nummum ſub Guidone, militari potius virtute, quam Religione celebri, percuſſum duco, qui Guillelmo de Ubertinis in Arretii Epiſcopatu, ac Dominatu ſucceſſit Anno MCCCXVIII, ut videre eſt apud Leandrum, qui in Arretii deſcriptione, Guidonis etiam geſta in pauca redegit. I.

Secundus æreus nummus Sancti Epiſcopi exhibet imaginem, ſiniſtra baculum paſtoralem tenentis, elevata dextera in actu benedicendi, cum inſcriptione in circuitu S. DONATVS. Alterius partis medium Crux tegit, litteris in gyrum poſitis DE ARITIO. II.

Tertius argenteus nummus præfert Sancti Epiſcopi faciem, & litteras circum exaratas S. DONATVS. Hic eſt Sanctus Donatus Arretii Epiſcopus, qui in perſecutione Juliani Apoſtatæ, a Militibus comprehenſus, cum Diis ſacrificare renuiſſet, gladio percuſſus martyrium conſumavit. Alterius partis medium occupat A antiquo more exarata, quatuor cum liliis ſupra, ad latera, & infra diſpoſitis, cum lemmate DE ARITIO. Cęterum Urbem hanc Coloniam, & Municipium Romanorum, unamque ex duodecim principibus Hetruriæ Urbibus fuiſſe, ex Livio & Plinio didicimus. III.

I II







III

III



## ASCULI.

Asculum in Regni Neapolitani finibus ad Truentum Amnem positum bello implicitum civili, quod inter Guelphos, & Gibellinos ea tempestate gerebatur, multisque conconcussum calamitatibus Thomæ Falzetti, Asculanique filii tyrannidi aliquandiu paruit; iis porrò a Thoma Miglianisio ejectis, sub hujus imperio Urbs esse cœpit, stetitque ad Annum usque MCCCCXXVI. quo Cives Tyranno pulso ad Martinum Pontificem defecere, ut colligitur ex Sebastiano Andre-

I. antonello in Hist. Asculi Lib. III, sub cujus Pontificatu primus hic æreus nummus obsignatus est, in quo legitur S. ENNIDIUS, hoc est *Sanctus Emygdius*, & in ejus limbo visitur Columella cum Corona superimposita, Martini V. stemma. In posterioris partis gyro altera Columella, & lemma DE ESCVLO, in medio Crux eleganter efformata.

II. Primam secundi ærei nummi frontem occupant hæ voces S. EMID. EPCOPVS nempe *Sanctus Emygdius Episcopus*. Hic est Sanctus Emygdius, qui a Sancto Marcello Pontifice, Asculi Episcopus ordinatus, sub Diocletiano Imperatore, abscisso capite, Martyrii palma coronatus est Anno CCCIX, ut habetur in Martyrologio ad diem quintum Sextilis. In adverso medium tenet Crux, & in circuitu DE ASCHOLO.

III. In anteriori tertii nummi argentei ære mixti parte eminet Crux hisce vocibus circumsepta P.P. S. EMIDIVS hoc est *Perpetuo Patronus Sanctus Emygdius*. In altera facie Turritum Ædificium duobus arcubus insignitum; designari Pontem plerique duxere, ego vero Arcem censeo hujusce Urbis Stemma; Anguis porrò ædificio supereminens Vicecomitum Gentilitium Scutum est, uti ex dicendis colligitur. Franciscus Sfortia Cottignolæ Comes percelebris, illius ævi Dux multis jam præliis gloriosus, novo benevolentiæ genere a Philippo Maria Mediolani Duce, & Blanca Maria filia notha, septennio nata des-


pon-

ponſata, in Vicecomitum Familia receptus, adoptatuſque eſt. A Socero Italiæ Imperium affectante, ſimulata expeditione in Regnum Neapolitanum Anno MCCCCXXXIII. miſſus (monuerat enim Philippus ſecreto Sfortiam, ut Marchiam quoque modo poſſet occuparet, & Pontificem offenderet) ubi Picenum devenit, Populis vel timore perculſis, vel gratia devinctis, vel ſpe obligatis, omnes ferè illius Provinciæ Urbes, inter quas Aſculum, duorum & wiginti dierum ſpatio in ſuam poteſtatem redegit. Inter hæc Eugenius turbulentis illis temporibus Pontifex, ęrario, & milite impar diſſimulata injuria ut ſuis & Eccleſiæ rebus conſuleret, Picenum Invaſori beneficiario jure conceſſit addito Marchionis titulo. Cęterum Sfortianis recrudeſcentibus rebus, Aſculani de Anno MCCCCXLV. in Raynaldum Sfortiæ ex materno latere germanum Urbis Gubernatorem arma ſumpſerunt, illoque, ac vigintiquatuor Civibus Sfortiani nominis ſtudioſis, trucidatis, ad obſequium Pontificis rediere, quo tempore a Franciſco evulgatus nummus cuſus eſt.

I




II




III




## BERGOMI.

BInos hic habes in Friderici honorem a Bergomatibus percuſſos nummos, argenteum unum, æneum pauculo argento mixtum alterum; repræſentant hi Imperatoris vultum, laurea corona redimiti, cum litteris I. M. P. R. T. FEDERICVS, ſcilicet *Imperator Fridericus*. Hos ad Fridericum II. ex facie imberbe in iis excalpta ſpectare cenſeo, cum Primus in Numiſmatibus, ac Monetis, barbatus ſemper appareat, & a ruffa

I

II

ruffa barba Œnobarbi cognomen promeruerit, mihi Palatio in Aquila Sveva pag. VI. adhærente. In posticis ædificium turritum supra montem positum, cum litteris PGAMVM, nempe *Pergamum*; sic enim illo ævo Bergomates suam Urbem appellabant. Hosce sane nummos evulgavit Muratorius sub num. II., & III; verum cum ædificia in nostris non eodem modo exculpta observentur, Lectori curiositati satisfacturi incidendos curavimus.

I



II



## BONONIÆ.


I. PRimi ærei pauculo argenti mixti nummi totam occupat aream Urbis insigne, cui desuper eminet Anguis Vicecomitum Icon Tesseraria, cum epigraphe DE BONONIA. A tergo stantis Episcopi exhibetur effigies, dextera benedicentis, sinistra Urbis typum sustinentis, & in limbo S. PETRONIVS. Bononia celeberrima Italiæ Urbs nullo prius subjecta imperio, Gvelphorum tamen, & Gibellinorum divisa in partes, nec non perniciosissimis Civium, Populariumque diu dilaniata factionibus, paulatim tandem ea, qua utebatur, libertate exuta est. Inter hosce tumultus Anno MCCCXXXVII. Pepulea prævalente factione Taddæus illius gentis nobilitate, virtute, opibusque insignis Vir, ad populares compescendos motus, regendamque Urbem a Civibus electus, & a Beltramino Paravicini Comi Episcopo, Pontificis consensu Anno MCCCXL. Bononiæ pro Sancta Romana Ecclesia Vicarius in triennium constitutus, undecimo Principatus anno nondum exacto naturæ concedit. Post elatum Taddæum Jacobus, & Joannes filii Principatum iniere, qui asperrimo diuturnoque bello a Pontifice fatigati, cum diutius imperium se retinere posse diffiderent, sibi consulturi, triennio post acceptis a Joanne Vicecomite tunc Mediolani Principe ac Archiepiscopo, Crepacorio, Novantulaque Castellis, multoque insuper auro, ei suum in hanc Urbem jus, Populo annu-

annuente, vendidere, cui non multo poſt, ſolutis duodecim Florenorum millibus tributi in annos ſingulos, Urbe ad duodecim annorum curſum beneficiario jure a Pontifice conceſſa, nummos ſignare cępit, quorum unum evulgavit Muratorius ſub num. v. Cęterum cum in nummi a me expoſiti Stemmate tria Lilia excalpta obſerventur, cui nonniſi de Anno MCCCLXXXIX. ut perhibet Vizanus in Hiſt. Bonon. Lib. v. pag. 246. a Bononienſibus addita ſunt; idcircò hunc, non ab Archiepiſcopo, ſed ab altero ex Vicecomitum familia, Joanne Galeatio ſcilicet, aut Joanne Maria, aut Philippo Maria, qui poſt Joannem Bononiæ Principatum tenuere, percuſſum dicendum eſt.

Secundus argenteus nummus exhibet in ſummitate marginis binas Claves, in formam Crucis diſpoſitas, ſubſequentibus litteris BONONI, & in medio A. A tergo in limbo binas pariter Claves decuſsatas cum lemmate MATER STVDIORVM. Vigentibus inter Jeremeos, & Lambertacios diſcordiis, ac ſimultatibus, creſcentibuſque in dies cędibus, ut Urbi ſaluti proſpicerent Cives, per Nuncios Anno MCCLXXVIII Romam miſſos Nicolao Pontifici hujus nominis tertio, Urbem, hiſce interpoſitis pactionibus, ut ſibi ſalva eſſent antiqua ejus Privilegia, conſuetudines, ac conventiones, ſponte dedidere. Itaque Pontifex Latinum Frangipanem Cardinalem Oſtienſem ex Sorore, & Bertoldum Urſinum ex Fratre Nepotes, ad componendas diſcordias Bononiam miſit, qui cum ad pacem Cives redegiſſent abiere, eoque tempore Bononienſes ſub Eccleſiæ tutela eſſe cępere. Verum hi antiquæ memores libertatis ſæpius Pontificiis pulſis Præfectis, creatiſque ad arbitrium Magiſtratibus, defectionem moliti ſunt; Cum Eugenius IV. Anno MCCCCXXXV. ut hujuſce Urbis jura ad Romanam Eccleſiam ſpectantia redintegraret, Copias Nicolao Picinino Duce in ipſam immiſit, pulſisque Cannetolis, qui anteacto Anno Bononiam tyrannicè invaſerant, in Eccleſiæ poteſtatem redegit, ſtetitque ad Annum MCCCCXXXVIII, quo Pontificiis præſidiariis militibus ejectis, ſui juris denuo eſſe cępit; atque hoc triennio ſignatum nummum & ad Eugenium ſpectare teſtatur Xaverius Scilla pag. 21, qui argenteas deſcribens Monetas ſub Eugenio IV. percuſſas hæc habet = *BO. NO. NI. in mezzo A, e ſopra due Chiavette . MATER STVDI. in mezzo in Croce O. R. V. M., e due chiavette, lo ſtile è di queſto tempo*, ideſt II

B BO-

*BO- NO- NI- in medio A, ſuperius binæ claviculæ. MATER STVDI. in area O. R. V. M. in formam Crucis diſpoſitæ, & binæ pariter Claves, hic cudendi modus hujuſce ęvi eſt*. Hunc porrò anno circiter MCCC-LXII, ſub Ægidio Cardinali Carilla ab Innocentio VI, ad compeſcendos illorum conatus, qui ex Pontificum abſentia audaces facti, nonnullas Eccleſiæ Urbes ſibi ademerant, in Italiam miſſo, cuſum facio, quibus profligatis, Romandiolaque adpriſtinam Pontificum fidem redacta, ubi Bononiam advenit, a Populo ſummo honore exceptus eſt, qua in Urbe cum per triennium degiſſet, ſubſequentem hunc nummum a celeberrimo Commendatario Franciſco Victorio in ſua Hiſtoria *de Antiquo aureo Floreno* italico idiomate conſcripta, jam evulgatum fecit obſignare, cui ſi demas Cardinalis Stemma in hocce pro binis Clavibus excalptum, ſane uno, eodemque typo percuſſum & tu adjudicabis, & ſententiæ meę adhęrebis.



III. In circuli æerei tertii nummi ſummitate bini inter cruciculam ſignati Cammari conſpiciuntur, ſubſequentibus litteris DE BONONIA: in medio binæ Claves decuſſatæ; In adverſo ſtantis Sancti Petronii Imago, & lemma S. PETRONIVS. Alter huic conſimilis penes me ſervatur nummus, in quo Cammarorum loco duo Papiliones, ſeu Apes obſervantur; Cętęrum hoſce nummos ad Sęculum XIV. ſpectare ex Characteribus dignoſcitur; quo Anno porrò, aut ſub quibus Præſidibus cuſi eruditiſſimis Bononienſibus hoc perpendendum relinquo.

IV. Æręus quartus, pauculo argento admixtus nummus, præſtat in area Sanctum Petronium, ſiniſtra Urbis typum ſuſtinentem, dextera lituum geſtantem, cum litteris ad gothicam ſcribendi formam ſignatis. A tergo DE BONONIA gothico pariter excalptis charactere, in area binæ Claves decuſſatæ, inferius Bentivolorum Stemma. Bentivolorum Gens ſub quintodecimi initium Sæculi Bononiæ iniit Principatum. Horum primus Joannes fuit, qui ob egregias animi dotes Patrum, Populique conſenſu in Reipublicæ Principem, Conſervatoris Juſtitiæ, ac Libertatis titulo electus eſt; quod cum non diù poſt, recentibus inter Cives renatis diſcordiis, nonnulli ægrè paterentur,

Galea-

Galeatium Vicecomitem tunc Mediolani Ducem, novum ad propulſandum Principem advocarunt, qui valido inſtructo exercitu, celerato itinere Bononiam propius acceſſit. Interea Joannes ultimam pro dignitate tuenda, aleam experiri belli, paratus, Florentinis, ac Patavinis in auxilium accitis, pugnam cum hoſte committit, cumque diu ęquo marte certaſſet, & ſe ei imparem animadverteret, nec eſſet ei abeundi facultas, ementita veſte in humili contubernio cujuſdam ope mulierculę delituit; hunc porrò vi arreptum in Forum abductum jugularunt, emortuumq: Corpus in fruſta diſciſſere. Anno verò MCCCCXX. Antonius Galleatius filius, aura & ipſe dominandi elatus, nonnullorum Civium potentia fretus, ſuum Bononienſes res ad arbitrium cępit moderari, qua ex re animo vehementer perturbatus Martinus V. qui tribus exauctoratis Pontificibus fuerat in Conſtantienſi Concilio Pontifex declaratus, cum per Nuncios Urbem ad obſequium redigere minime valuiſſet, ad eam, prius Sacris interdictam, oppugnandam, ſuas ſub egregiis Ducibus Copias immiſit. Bentivolus qui adventantium contra ſe virium non ignarus, Cabrinum Fondulum Cremonæ Tyrannum in opem acciverat, cum de Urbe tuenda deſperaret, Civeſque in fide titubantes agnoſceret, tutiore ac honeſtiore conſilio ſuſcepto, in Caſtra ad Pontificium Legatum publica fide ſeceſſit, pactiſque deditionis legibus, Bononia relicta, ad Caſtrum Bononienſe, ei per pactionem conceſſum, perexit. Poſt hunc Annibal filius, cujus vim, virtutemque Franciſcus Piccinimus Nicolai filius, qui Vicecomitis nomine Bononiæ præerat, ſummopere verebatur, Anno MCCCCXLII. Piccinini fraude interceptus, ac in Arcem Varani agri Parmenſis ſine ulla omnino ſpe futuræ aliquando libertatis, perductus, compedibus oneratur. Verùm ſequenti anno Mareſcotorum arte felliciter elapſus, Bononiam ſub noctis ſilentio maxima Civium lætitia ingreditur, coactaque extemplo armatorum manu in Piccininum concurrit, qui ad inopinati periculi diſcrimen metu conſternatus, cum ſe aliquandiu accerrime vindicaſſet, tandem in Bentivoli poteſtatem devenit. Tanta re patrata uti Liberator a Populo inclamatus, ſumma cum Imperii ſpecie Rempublicam moderabatur; Quum Cannetoli biennio poſt, ſanguinis licet vinculo Bentivolis proximi (Conſtantiam enim Sororem Gaſpari Matthæi filio Annibal pa-


tem habiturus desponderat ) ad pristina odia rediere , instructisque insidiis, eum trucidarunt , Joanne filio novem & viginti mensibus nato superstite . Annibalem Cives tamquam Patriæ parentem luxere, acrique de proditoribus ultione sumpta , uti Bentivolis summopere addicti , Sancte illegitimo ex Hercule Annibalis Avo thoro nato, Florentiæ degente, Bononiam accersito , Joannem puerulum educandum , ac in Reipublicæ Principem instituendum sub ejus tutela firmarunt. Cœterum in Sancte tanta inerat animi magnitudo, ac virtus, ut nedum penes Cives , sed & Proceres summa in existimatione haberetur. Nuptiis cum Junipera Alexandri Sfortiæ Pisauri Reguli filia celebratis, prudentissimeque ad Annum usque MCCCCLXII. Republica administrata , e vita excessit ; Idcirco sub Sancte expositum nummum, ex litteris juxta illius ævi morem excalptis, signatum censeo, Joannis II. temporibus jam obsoletis.

Decem hi subsequentes nummi, diverso tamen typo percussi, ad Joannem II. Bentivolum spectant , quorum primus æreus pauculo argento admixtus, Sancti Joannis Evangelistæ insignitur imagine , litteris circumsepta S. IOANNES E*vangelista*. In adversa parte Bentivolorum Stemma cum epigraphe IOANNES BENTIVOL*us* II. In secundo argenteo nummo stat pariter Bentivolorum Gentilitium Scutum cum casside, cui supereminet Aquila expansis alis , in Cassidis reflexis cristis quatuor hinc inde exaratæ litteræ conspiciuntur I. B. S. B. quæ sic meo videri interpretari debent *Joannes Bentivolus Secundus Bononiensis*. Tota opposita pars ab hisce vocibus occupatur MAXIMILIANI IMP*eratoris* MVNVS MCCCCLXXXXIIII. Quatuor hisce propinquiores Nummi ipsiusmet Joannis Bentivoli pileatam exhibent faciem, litteris in gyrum positis IOANNES BENTIVOLVS II. BONONIENSIS. A tergo hujus Familiæ Tesseraria Icon cum lemmate MAXIMILIANI IMPERATORIS MVNVS. Postremi nummi ejusdem Joannis repræsentant Imaginem , & epigraphen MAXIMILIANI IMPERATORIS MVNVS MCCCCLXXXXIIII. Joannes vix quarto ætatis lustro completo, a Patribus in Confalonerii dignitatem adscitus adeo præclare se gessit, ut nemo æquitate, ac prudentia potior videretur. Junipera Patruelis Sanctis jam functi Uxore, accedente Pontificis dispensatione, sibi Matri-

trimonio copulata, liberisque non paucis ex ea susceptis, cum splendidissimis Italiæ Familiis affinitates comparavit. Ob sua in Apostolicam Sedem merita a Paulo II. ut, quo ad viveret, ac in Ecclesiæ obedientiam, devotionemque perseveraret, in Sexdecim Reformatorum Status Magistratu, Collegiis licèt variantibus, permaneret, reportavit; quod Sixtus IV. Innocentius VIII. & Alexander VI. nedum confirmarunt, sed & ad majorem natu Filium post obitum Patris superstitem ampliarunt. A Ferdinando utriusque Siciliæ Rege Anno MCCCCLXXXII. vigesima Februarii die in Aragonum Familiam cooptatus, a Maximiliano Imperatore tum Aquilam nigri coloris in Gentilitio suo Scuto ponendi, cùm in suæ locis ditionis Monetas cudendi Anno MCCCCLXXXXIIII. decimoquarto Kalendas Novembris jure donatus, firmum, fundatumque imperium habere videbatur, sed versa deinde fortunæ alea ejus fallacissimos nutus, post quartum, & quadragesimum Regiminis annum, expertus est; Julius enim II. fędere cum Francorum Rege percusso Joannem, & filios Bononia exturbaturus, Roma profectus septimo Kalendas Septembris MDVI., ubi Forum Livii advenit, in Bononienses severum evulgavit Edictum, quo, eis anathema indixit, nisi novem dierum spatio pulsis Bentivolis ad obsequium Ecclesiæ rediissent. Joannes interea audito hoc rerum motu, strepituque, armis ad defensionem impigrè comparatis, cum accepisset Ciamontem cum Gallicis copiis Bononiam adventare, se viribus imparem agnoscens, pactis cum Pontifice conditionibus, Urbe cum bonis, totaque Familia excessus, Mediolanum petiit, ibique biennio post mœrore plenus ac luctu, in fata concessit. Annibal verò major natu filius Gallorum ope Anno MDXI. Bononiam ingressus, ad alterum usque Annum tenuit Principatum, quo Pontificiis, ac Hispanicis fatigatus armis, ut se undique premi sine ulla auxiliorum spe vidit, Urbe relicta, ad Levirum Alphonsum Ferrariæ Ducem reversus est; nupserat enim Annibal Lucretiæ Herculis Ferrariæ Ducis Filiæ, ex qua genuit Constantium, pręstantissimæ hujusce Bentivolæ Familiæ Ferrariæ degentis, Propagatorem, cujus Nobilitatem ævo hoc nostro Guido præclarissimus Eques inter Hispaniarum Magnates adscriptus amplificat. Quæ porrò hucusque de Bononia, ac Bentivolis compendio collecta tradidi, ex Ghirar-

rardacio præcipue, & Vizano delibavi, ideoque ad fontes ipsos Lectorem remitto.


I



II




III




IV




V




VI




VII




VIII




IX

IX




X




XI




XII




XIII




XIV




## B R I X I Æ.

IN antica primi argentei nummi conſpiciuntur ſtantes Sanctorum Urbis Protectorum Imagines, hiſce vocibus circumſeptæ S. FAVSTINVS S. IOVITA. Poſtica Crucem præfert, & lemma BRISIA. I.

Secundus, & tertius argentei nummi ſummæ raritatis ſunt; II. in area primi exhibentur litteræ D. P. ideſt *Dominus Pandulphus*, in limbo DE MALATESTIS. In averſa facie Gentilitium Malateſtarum Scutum cum epigraphe DOMINVS BRIXIE 3. Ꞓ. Alter habet Malateſtarum pariter Stemma, & III. litteras hinc inde P. A. ejuſdem Pandulphi nominis initiales; in margine PANDVLF. D. MALATEST. D. BRIXIE 3. Ꞓ. nempe *Pandulphus de Malateſtis Dominus Brixiæ, & cętera*. A tergo Sanctorum Martyrum Fauſtini, & Jovitæ demonſtrantur Effigies cum inſcriptione S. FAVSTINVS. S. IOVITA.

Joanne

Joanne Galeatio Mediolani Duce Anno MCCCCII. vita functo, Copiarum Duces, nullo violati militaris Sacramenti pudore, in Joannem Mariam, ac Philippum Mariam filios Principatus hæredes arma converterunt, opportunaſque ſibi Civitates occuparunt, inter quos Pandulphus, cujus opera Principes multum in bellicis rebus utebantur, Brixiam, & Bergomum ſibi vindicavit. Verùm Joanne Maria a Conjuratis cæſo, valeſcenteque poſt mortem Fratris Philippi Mariæ potentia, hic Franciſcum Buſonum a natali ſubalpinæ Liguriæ Oppido *Carmagnola* vocitatum, cui maximum illo ævo in armis nomen erat, valido exercitu in Pandulphum immiſit, qui cum ſe imparem hoſti animadverteret, Brixiæ Anno MCCCCXXI. ceſſionem fecit, & ad Patrios lares remeavit. Brixiæ ergo ſub Pandulphi imperio bini hi nummi cuſi ſunt. Bernard. Corius in Hiſt. Med. Part. IV.




## CAMERINI.

I. PRimus argenteus nummus in marginis ſummitate præfert Urbis Stemma tribus Domunculis compactum ſubſequentibus vocibus VrBſ CAMERIN; in medio A quatuor circulis circumſepta. In adverſo legitur SANTVS VENATIVS quatuor poſtremis litteris in area ad formam Crucis diſpoſitis. De hujus Urbis initiis varii varia ſcripſere; Cœterum Camertes Societatem, amicitiamque cum Populo Romano Anno ab Urbe condita CCCCLIV. iniiſſe, in debellanda Carthagine

gine Scipioni, in propulſandis Cimbris Cajo Mario adjuviſſe, ob quæ Civitate Romana donatos, atque in hacce ab Antoninis Pio, & Caracalla confirmatos, Livius, Valerius Maximus, aliique perhibent. Urbs libertate, quam ab initio ſemper habuerat, ad Ariulphum uſque Longobardorum Regem eſt uſa, a quo occupata variis deinde Regibus paruit, quibus proffligatis, nonnullos Dominos Marchionum titulo ab Imperatoribus ad eam regendam immiſſos ſortita eſt. Iis porrò ab Innocentio III. pulſis, totaque Umbria, ac Piceno ad Apoſtolicæ Sedis cultum redactis, ſui juris facta, quietem aliquandiu habuit ſub auctoritate, fideque Pontificum, perduravitque ad Sæculum XIV. quo ſub Varanorum poteſtate, ut in ſequenti nummo dicemus, eſſe cæpit.

In antica ſecundi argentei nummi exhibetur Varanorum Teſſerarium Scutum cum inſcriptione IVL. CÆS. VARAN. CAMERINI. D. nempe *Julius Cęſar Varanus Camerini Dominus*; ſuperius in lymbo Urbis Teſſera illius ævi, cujus areola tranſversè in ſemiſses, album ſcilicet, & muricatum, diviſa eſt. Poſtica Sancti Venantii Camerini Patroni effulget Imagine, litteris in gyrum poſitis S. VENANTIVS DE CAM*erino*. Præſtantiſsimam Varanorum Familiam e Normanis oriundam maxima priſcis temporibus apud Camertes claruiſse potentia ab Hiſtoricis abundè didicimus. Inter hoſce Sęculo tertiodecimo effloruit Gentilis ille ex Rodulpho natus, qui Camerino, a Manfredo utriuſque Siciliæ Rege, ferro igneque vaſtato, ac ſolo æquato, reædificanti Populo præſto fuit. Hic in Belli Capitaneum a Civibus cooptatus, ſui ſub initium imperii pleraque in hac rerum viciſsitudine a Camertibus Oppida jam deſcita, armorum vi ad priſtinam fidem redegit, Arcemque in Montis faſtigio quarto ab Urbe lapide a fundamentis extruxit, eamque de ſuo agnomine Varanam dixit. Sanſeverinates Camertem agrum crebris incurſionibus vaſtantes ad Potentiam flumen delevit, aliaque inſignia edidit, ob quæ a Martino IV. Pontifice Comes Campaniæ dictus, cum per biennium hoc in munere ſe præclarè geſſiſset, inter mortales eſſe deſiit, duobus poſt ſe relictis filiis Rodulpho, & Berardo, qui per veſtigia paternæ virtutis decurrentes, in opibus, belliceque gloriæ laudibus crevere. Rodulphus ex fama rerum geſtarum ab Honorio IV. in Comitatu Campaniæ confirmatus, Joanne, Sigiſmundo, & II.

Nuccio filiis ſuperſtitibus, Anno MCCCXVI. non plane Senex interiit. Berardus in ſuæ Juventutis flore cùm Bononienſium, tum Bonifacii VIII. armis præfuit, eo creſcentis laudis, accumulatique honoris ſucceſsu, ut a Joanne XXII. Anconæ Marchio crearetur, quo in officio, Urbino, Auximo, Fano, ac Recineto in Pontificii nominis poteſtatem redactis, ex humanis eripitur, Anno qui fuit a Virginis partu undetrigeſimus ſupra trecenteſimum, atque milleſimum. Huic ſucceſſit commemorandus Gentilis II. filius, qui ob præclara ſua in Eccleſiam Romanam merita a Summo Pontifice Clemente VI. primus pro Sede Apoſtolica Camerini Vicarius renunciatus, ætate plenus occubuit Anno MCCCLV, ſuccedentibus Rodulpho, Venantio, Joanne, ac Gentili ex Berardo ejus filio, vivente jam Patre in fata conceſso, procreatis. Horum præſtantiſſimus in Armis Rodulphus, efflagitante Clemente VI., pro Chriſti nomine mille ſtipatus Camertibus in Syriam profectus, inſigni adverſus Saracenos fama militavit, victoque Marbaſsano Infidelium Principe ad Smyrnam, in Italiam revertitur. Anno verò MCCCLIII. Ægidium Albernotium Sanctæ Crucis Cardinalem, ad eas quæ deſciverant Civitates ad officium redigendas, ab Innocentio VI. in Italiam miſsum, ſolemni pompa Camerini excepit, eique in perduellibus propulſandis favit eo bellicæ laudis eventu, ut ab ipſo Confalonerii dignitate, qui honos ea tempeſtate in Italia ſummus habebatur, cohoneſtari promeruerit, cum antea Ludovicus Neapolis Rex, ac Joanna Regina, Vice-Regis Abrutii dignitate eum condecoraſsent. Verùm non multo poſt a Pontificis parte declinans, Florentinis, Vicecomitibus bello conſociatis, ſe ſe applicuit, quocirca a Confęderatis Imperator dictus, Bononiæ ab Eccleſia jam deſcitæ, quæ Pontificio exercitu, quindecim armatorum millium numeroſo, gravi obſidione premebatur, fortem manu, & conſilio operam præſtitit. Ob quæ multa de ſe veritus Rodulphus ſe a Florentinis abalienavit, Eccleſięque armis fretus in ipſos movit, quo in bello cum in Conſilio ſpecioſa magis, quam ſalutaria ſuadentibus parere maluiſſet, ſæpius, uti bellicarum, huc atque illuc inclinari, rerum mos eſſe ſolet, contumacis fortunæ nutus expertus eſt; idcircò res ſuas ſi non perditas, acciſas tamen agnoſcens, fœdus cum Picenis percutit, & hoc extremum ejus operum fuit, nam ſub initium Anni MCCC-

LXXXIV.

LXXXIV. deceſſit. Poſt hunc Joannes frater ætate gravis, & improlis Principatum conſequitur, biennioque nondum exacto naturæ concedit; hac porro in temporis anguſtia Sancti Venantii Suburbium lateritiis mœnibus circumvallavit, binas Turres, ad Potentiam alteram, allteram in Beregnæ montibus a fundamentis erexit. Dein, ſicuti in Teſtamenti Tabulis erat præſcriptum Gentilis III. ex Berardlo II., & Rodulphus filius, alterque Gentilis, & Berardus ex Venantio nati, Principatum iniere; at per Gentilem, quippe quì ætate conſilioque præſtantiorem, Urbis res gerebantur. Hi inter imperii initia Tolentinates, alioſque ſubditos rebellantes compeſcuere, diuque in Pontificis Nepotem Piceni Marchionem certarunt, qui aliquando a Camertibus comprehenſus, Ugolini de Trincis Fulginei Reguli ſtudio, operaque in libertatem redactus eſt. Inter hæc Gentilis prope centenarius, cum jam ſub Urbano V. Senatoris, ac Almæ Urbis Gubernatoris dignitates ſubiiſſet, quintodecimi in exordio Sæculi morte præventus, Rodulpho filio, nec non Gentili Pandulpho, & Berardo ejuſdem Rodulphi filiis Principatum dimiſit. Hi conſpicuas cum nobiliſſimis Italiæ Toparcis Placentina, Tora, Guillelma ex Rodulpho natis, Lucæ, Fulginei, Fabriani Regulis nuptui datis, affinitates quæſiere; favitque Varanis Bonifacius IX. a quo in S. Geneſii, ac Tolentini Terrarum Feudo, ſub annuo CCC. Scutorum cenſu, iiſdem prorſus modis ac formis, quibus Rodulphus II. ab Urbano V. obtinuerat, ac poſſederat, confirmati ſunt; quo tempore Camertes a Malateſta, & Ludovico de Melioratis Arimini, ac Firmi Regulis, diuturno bello vexati, Braccii Fortebraccii, ac Berardi de Varano virtute liberati ſunt. Ab his aliiſque præclarè geſtis vaga, variaque ſtipendia Berardus promerens, Ladislao utriuſque Siciliæ Rege in tutanda Peruſia a Braccio Confœderatorum Imperatore oppugnata, fortem operam navavit, a Ladislao demum ad Gregorium XII. Pontificem, & ab hoc, non diu poſt ad Joannam Reginam, quæ emortuo fratri in Regno ſucceſſerat, tranſgreſſus, egregiam Ducis famam adeptus eſt. Interea ad tollendum Schiſma, quod per quinquaginta ferme annos Eccleſiam, atque Italiam dilaceraverat, collectum jam erat Conſtantiæ Concilium; eo Feudorum confirmationem petentes, Varanorum convenere Legati; annuere Patres, datiſque ad Bertrandum Sanctæ Floræ Epiſcopum, & Joannem Stokes Commiſ-

ſarios in Provinciis Marchiæ Anconitanæ , & Spoletani Ducatus a prædicto Concilio deputatos, litteris , in Feudis confirmati ſunt . Lubet hic Diplomatis verba , nonnullis , ne ſim prolixus reſecatis , Anconæ dati ſexto idus Februarii MCCCCXVI. referre , ſingulis in hoc Bonis , quæ ſub hujuſce tunc temporis Familiæ imperio habebantur , recenſitis = *Dilectis filiis Magnifico Domino Rodulpho D. Gentilis de Varano ; nec non Mag Gentili , Pandulpho , Berardo , Pergentili , Venantio , & Joanni ipſius Mag. D. Rodulphi filiis , ſalutem in Domino ſempiternam &c. Quoniam igitur præteritis temporibus ob fidelitatem , & ſtudia hujus nonnullæ conceſſiones factæ fuerint per Romanos Pontifices , videlicet Civitatis Camerini , cum Comitatu , & diſtrictu in gubernationem Terræ Monticuli , Terræ Belfortis , Terræ Sarnani , Terræ Amandulæ , Terræ Pennæ S. Joannis , Terræ Montis Sancti , S. Martini , Caſtri Gualdi , Terræ Montis Fortini ; In Provincia Marchiæ Anconitanæ Terræ Viſſi , Terræ Cerreti , Pontis cum eorum Comitatibus . In Provincia Ducatus Spoletani in Vicariatu Terræ Tolentini , Terræ Sancti Geneſii dictæ Provinciæ Marchiæ in feudum , Terræ Muri Vallium in gubernationem ad eandem Eccleſiam pleno jure ſpectantium , prout in variis , & diverſis litteris Apoſtolicis inde confectis plenius declaratur . Nos de his omnibus habentes dictarum conceſſionum formam, tenorem &c. Auctoritate dicti S. Conſtantienſis Concilii tenore præſentium confirmamus , & præſentis ſcripti patrocinio communivimus &c.* = . Hoc eodem tempore grave inter Carolum Malateſtam , & Braccium Camertibus conſociatum , in agro Peruſino bellum gerebatur : Ad Aſſiſium quarto idus Quintilis pugnatum utrinque pari animo , vi , atque ardore , diùque varia victoria fuit , ad extremum penes Braccium ſtetit ; Carolus , & Galeatius intercepti Camerinum in cuſtodiam abducti ſunt , ibique ad ſequentem Annum MCCCCXVII. ſtetere , quo in has conditiones pacis ventum , pactumque , quod unuſquiſque omni impedimento ceſſante poſſet ire , & redire per agrum Firmanum , Peruſinum , Camertem , & Ariminenſem ex voto ſuo , ut pro Caroli , & Galeatii redemptione octuaginta aureorum nummorum millia Camertibus , & Braccio numerarentur , quibus ſolutis de menſe Aprilis in libertatem vindicati ſunt . Septem dein interjectis menſibus Camerinum nuntiatum , Oddonem

Colum-

Columnam natione Romanum a Patribus in Concilio fuisse in Pontificem adscitum, qui ob reverentiam Sancti Martini Episcopi Turonensis, in cujus festo electus fuerat, Martinus Quintus voluit nominari, ingenti herclè Varanorum lætitia; Violantidem enim ex Pontificis Sorore natam unus ex Berardi filiis in matrimonium duxerat. Quamobrem Berardus celerato itinere Constantiam profectus, Feudorum confirmationem a Pontifice reportavit. Post hæc Rodulphus III. Gentilis III. Filius moritur, cum vivens quatuor & sexaginta filios ex tribus Uxoribus sustulisset, quorum quatuor & quinquaginta panem comederunt, imperiumque a Gentile Pandulpho, & Berardo ex primo voto, Petro Gentile, & Joanne ex secundo Filiis suscipitur, quod cum per sex annos maxima animorum concordia administrassent quadrifariam divisere. At Joannes, ut ceteris affabilior, ac sapientior Fratribus, a Populis summopere adamabatur, atque id in Gentilis Pandulphi, & Berardi animis sævi odii non in Joannem tantum, sed & in Petrum Gentilem radices jecit, impiosque fratres ad domestica scelera convertit, odioque in dies gliscente, insidiis instructis Joannes a Satellitibus ad id paratis in Berardi cubiculo confoditur; Petrus Gentilis Joannis Patriarchæ Vitelleschi viri æque ambitiosi, ac cruenti fraude comprehensus, ac Recinetum adductus, extra muros incredibili omnium mœrore securi percutitur: quod facinus usque adeo Populos abalienavit, ut ad horum cedem vindicandam plerique se se erexerint: Berardo a Tolentinatibus cæso, in Gentilem Pandulphum Camertes conspirarunt, eoque, ac Nepotibus, aliisque Varanorum studiosis trucidatis, Regiam, gazasque populo diripiendas præbuere, atque ita Fratricidæ, qui soli dominandi libidine affectabant, Principatum, vitamque simul, ac liberos, omnesque opes, quæ erant pretiosissimæ, puncto temporis amisere, duobus puerulis biennio nondum natis Rodulpho, ac Julio Cesare, Petri Gentilis, & Joannis filiis superstitibus, qui & ipsi cum a Populo propter Varanorum odium ad necem quærerentur, a Tora Amita, & Antonio Rodolfini furtim subtracti, in loca tutiora delati sunt. Verum decennio post Caroli Fortebraccii Perusiæ Reguli ope, cui Pupillorum partes, ob studia Varanæ Familiæ debita, grave relinquere videbatur, Civibus, Popularis imperii, fastusque jam nausea-

nauseatis, annuentibus, sexto Kalendas Decembris (is fuit Annus quadringentesimus quadragesimus quartus supra millesimum) in Urbem restituti, a Nicolao V. qui in Eugenii locum subierat, in Camerini Vicariatu confirmati sunt. Per hosce ergo sub Joannis de Comitibus mirificæ probitatis viri, cunctisque Regiminis artibus pollentis tutela, summa prudentia, æquitateque Imperium moderabatur; quum Cives in spem excutiendæ servitutis erecti, in Principes insidias moliti sunt, quibus proditis in Rebelles, qui multa jam nocte S. Mariæ Forum occupaverant, Aulamque circumvallaverant, irrumpitur, ex hisce tres desiderati, plerique saucii, cęteri aut capti aut fugati, ex captis duo publicè capite plexi, reliqui Carceri demandati ære mulctati dimittuntur. Rebus Camerini compositis Rodulphus, & Julius Cæsar duas ex præclarissimo sanguine coortas Virgines, Camillam Estensem ex Nicolao III. Ferrariæ Vicario natam, & Joannam Malatestam Sigismundi Arimini Reguli filiam, thoro sibi copularunt. Rodulphus pacis amans, & quietis, quatuor ex Camilla susceptis filiis Petro Gentile, Hercule, Nicolao, & Fabritio, tribusque filiabus Gentile, Nicola, ac Junipera in juventutis flore Anno MCCCCLXIV. e mortalibus eripitur. Julius Cæsar animi magnitudine, armorumque peritia præstantissimus pro Paulo II. Pontifice in Ariminenses militavit, a quo pro se suisque filiis, Filiisque ex Rodulpho natis, Feudi confirmationem reportavit; a Sixto IV qui Paulo successerat, in armorum S. R. E. Gubernatorem electus, Tudertum, ac Spoletum ad Pontificis fidem revocavit; a Pontifice ad Venetos Capitanei titulo transgressus in Sigismundum Austriacum Tirolensem Comitem, qui viginti armatorum millibus Roverense Oppido occupato, cæteris Venetorum Urbibus inhiabat, tam fortem præstitit operam, ut eum ad pacem adegerit. Magnificis Urbem auxit ædificiis, inter quæ Camerini Regia, Sanctæ Claræ Cœnobium, ac ad expositos excipiendos infantes Nosocomium, aliaque præclara egit, ut ex Varanis nemo, qui antea, aut post Camerini regnaverint, majora monumenta reliquerit; senio autem confectus a Valentino Borgia truculento Tyranno (tam tristi vitæ exitu herclè indignus) strangulatus est; & ecce tragici eventus ennarratio. Obierat jam Innocentius VIII, eique a Patribus fuerat Alexander VI. subrogatus. Pontifex hic suos amplissi-

plissimis fortunis Consanguineos honestare cupiens, Cæsarem filium Valentinum dictum, decem millibus armatorum succintum, sub annui non soluti census, aliarumque rerum prætextu, Julium deturbatum in Camerinum immisit. Quod ut senserat Julius suo de imperio sollicitus, externi licet auxilii inops, in Civium quidem fide, monumento loci, Venantio, Annibaleque filiis, virtute, ac præliis ad id tempus invictis Ducibus, habita spe, necessariis defensioni paratis, Urbem tueri posse rebatur; at concepta non diu illi arrisit spes; Valentino enim cum Copiis agro prius effuse vastato, cunctisque bellico terrore completis, ad Muros adventato, Cives de tuitione desperantes, ac ultima captarum Urbium exempla sibi suisque metuentes, ad deditionem Principem divexabant, neve Patriæ excidium, suarumque rerum direptionem pateretur, lacrymis, assiduisque precibus fatigabant; quibus permotus Varanus, Civiumque levitate comperta, potentiori cedere coactus hosti, Urbis, ea conditione ut sibi, ac filiis salvos, & liberos una cum bonis excedere liceret, deditionem fecit. At barbarus, omni fidei sanctitate contempta Julium, filiosque, uno excepto Joanne Maria, a Patre in Commotionum exordio talia suspicante, atque opportunè divinante, ut belli periculis eximeretur, cum pretiosioribus Venetias demandato, in custodiam dedit, tertioque nondum exacto mense mactati sunt; sub hoc ergo Principe expositus nummus percussus est.

Tertius æreus nummus Joannis Mariæ Camerini Principis pileata facie ornatus conspicitur, additis in margine his vocibus IO: MARIA VARANVS CAMERINI D. hoc est *Joannes Maria Varanus Camerini Dominus*. Posticam implet Varanorum Insigne, lemmate circumscriptum DISTINGVE, ET CONCORDABIS. Alexandro VI. sublato, attritisque Valentini rebus, Joannes Maria Civium consensu concurrente, plaudenteque populo Camerinum rediit, reportatisque a Pio III, Julioque II. confirmationibus, una cum Matre iniit Principatum; hac porro maximo cum Filii, Civiumque mœrore Anno MDXI. quarto nonas Novembris è vivis rapta, ad arbitrium cœpit moderari, quo tempore exposita Moneta, sicuti & altera sub num. IV. percussæ sunt, cum antea & Matris, & Filii nominibus inscriptæ signarentur, ut videre est in sequenti exposito argenteo nummo, jam a Clarissimo Muratorio evul-

III.

IV.

evulgato ſub numero XI. cujus iconem hic apponi curavi.




V. In prima quinti argentei nummi facie Varanenſis Familiæ apparet Stemma, & in limbo IO: MARIA CAMERINI DVX. Tota adverſæ partis area ab hoc lemmate in Laurea Corona conſcripto impletur LEONIS X. CVLTVI. Cum ſummam aſſiduamque fidelitatem, obedientiamque Joannes Maria Romanæ Eccleſiæ præſtitiſſet, eique in Arimino, Aſculo, & Senogalliæ Arce recuperandis milite, ac ære adfuiſſet, ob hæc, aliaque tanti Principis merita, a Leone X. Anno MDXIII. fuit Camerini Dux renuntiatus, in cujus facti memoriam, ac Pontificis munificentiam a Joanne Maria hi argentei nummi obſignati, ac per Populum effuſi ſunt.

VI. Ad eundem Joannem ſpectat etiam ſextus æreus nummus, in cujus anteriori parte viſitur Varanorum Icon ſcutaria, litteris in margine poſitis IO. M. CAMERINI DVX. A tergo nodus litteris hinc inde diſpoſitis V. A. nempe *Varanus*.

VII. Septimus argenteus nummulus Gentilitium Varanorum oſtendit Scutum, hiſce circumpoſitis litteris I. M. CAM. DVX. nempe *Joannes Maria Camerini Dux*. In poſtica Sancti Anſovini Urbis Epiſcopi effigies, & in margine S. ANSOVINVS, quæ omnia etiam in

VIII. Octavo nummulo, diverſo licet typo percuſſo, perpenduntur. Joannes Maria in tantæ gloriæ faſtigium evectus, ſuaque virtute, ac immenſo Populi ſtudio glorioſus, præclariſſimas, quas antea quæſierat nuptias ſolemni pompa Camerini celebravit Anno MDXX. Nupſerat ille Catharinæ impubi ex Franciſco Cybò Innocentii VIII. filio, & Magdalena Medicea Leonis X. Sorore natæ, quæ pubes jam facta, duobus Epiſcopis, ac Laurenzino fratre conſociata, Camerinum advenerat. Erat Catharina venuſtate formæ, ac modeſtia ſumma inſignis, morumque ſuavitate celebris; litterarum monimentis, artiumque liberalium ſtudiis dedita, ingenium ſupra ſexum excoluit; variarum præ-

terea

terea Linguarum notitiam callens per ſe Hebræis, Græcis, & Latinis reſponſa ſatis ſuperque redebantur; a Leone X. ſummopere adamata, adeo formæ ſplendore, ac gratia ſermonis Avunculi animum ſibi devinxit, ut Maritus Romæ Præfectus, Senogalliæ Comes, ac Cuſtos Maris renuntiaretur. Hiſce verò nuptiis non diu lætatus eſt Varanus, ſequenti enim anno a Sigiſmundo ex Venantio fratre nato, armis pro imperio impetitus, in vitæ diſcrimen, & Principatus redigitur; Cœterum Nepote per inſidias, Patruo, ut creditur, conſcio, trucidato, ſumma tranquillitate, ac pace imperium adminiſtravit ad Annum uſque MDXXVII, quo Camerini ſæva oborta lue, quartodecimo Kalendas Septembris, qui vigeſimus quintus ejus Regni annus extitit, ætatis vero quintus & quadrageſimus, deceſſit; Julia filia ex Catharina Anno MDXXIII. nono Kalendas Aprilis ſuſcepta, Ducatus hærede ſuperſtite.

Nonus aureus nummus Juliæ Patri in Principatu ſucceſſæ IX.
inſignitur imagine cum circumducta epigraphe IVLIA DE VARANO CAMertium DVX. In adverſa Varanorum Icon gentilitia cum lemmate CLEMENTIS VII. CLEMENTIA, quæ inſcriptio etiam in argenteo ſub num. X. expoſito num- X.
mo obſervatur. Joanne Maria fatis functo, Rodulphus ex injuſtis amplexibus filius, ac Beatrix Uxor aura dominandi elati, Camerini Arce occupata, traditaque in Militum cuſtodiam Catharina, imperium ſibi ademerunt. Quod ubi Innocentio Cardinali Cybò Catharinæ Fratri delatum, hic, Tedaldum Ceretanum cum ducentis Peditibus, Sororem in libertatem vindicaturus, Camerinum immiſit, qui viribus impar inito cum hoſte certamine, ad fugam capeſſendam adactus eſt. Inter hæc Clemens VII. qui ſub id tempus in Arce Adriana obſeſsus detinebatur, Neptis caſus miſeratus, Confęderatorum, ut Catharinæ in recuperanda Ditione adeſſent, opem implorans; hi Rodulpho, Beatriceque interceptis, ac in Arcem Piſaurenſem detruſis, eam in Principatus poſſeſſionem deduxere, quæ tanti beneficii memor hujuſmodi Monetas, ævo hoc noſtro rariſsimas, in Clementis obſequium fecit obſignare.

In area undecimi aurei nummi obſervatur Gentilitia Va- XI.
ranorum Icon, in gyro IVLIA VARANA CAMERINI DVX. Poſtica Crucem præfert affabrè excalptam, & lemma ProTEGE ME A CONVENTV MALIGNANTIVM,

 verbis

verbis ex Pſalmo 63. deſumptis. Joanne Maria extincto, Hercules ex Rodulpho natus, qui ſub id tempus Ferrariæ morabatur, avitam repetiturus Ditionem, paucis ſed lectis ſtipatus militibus una cum Matthia, & Alexandro filiis in agrum Camertem Anno MDXXVII. penetravit, cui pietatis æmulatione plerique ex Civibus Rodulphi Patris memoriam recolentes, & caſum tam indignæ expulſionis miſerantes, auxiliares ſe præbuere; nec defuere Agreſtes, hiſce enim ad acuendos eorum animos, ſe non in opes tantum, ſed & in Civium matrimonia ſucceſſuros calida arte Varani ſpoponderant, qua ſpe illecti, novarumque (uti ſolet) rerum cupidi ad Caſtra turmatim confluebant. Iis ſubnixi viribus, conductoque mercenario milite, leves interdum cum hoſte conflictus vario eventu fuere. At ſequenti Anno de menſe Februarii Matthias, & Alexander acie inſtructa, centum Peditum, ac biſcentum Equitum præter quadringentos Agreſtes, numeroſa, Sancti Venantii Suburbium oppugnaturi proceſſere, initaque aggreſſione, cum varius utriuſque gentis caſus fuiſſet, ad poſtremum Victoria pro Fratribus ſtetit, qui cum aliquando e loco cum parte Præſidii receſsiſſent, in cæteros ad cuſtodiam relictos, a Camertibus inſcia Catharina irruptione facta, viginti ex iis quaſi vilę pecus jugulati, reliqui capti, fugatique; ex captis duo & viginti e mœnium Portæ Juliæ pinnis ſuſpenſi, perdullionis pœnas luere. Perpaucis porrò interjectis diebus, cum novos in Urbe Firmana milites a Matthia conſcribi, ex epiſtolis Catharina didiciſſet, ſuis, ad compeſcendos Varanorum motus, diffiſa viribus, Nuncios ad Franciſcum Mariam Urbini Ducem, cum Confœderatorum Copiis, quarum ipſe ſummum gerebat imperium, Tuderti hyemantem, opem imploratura, miſit. Periculum, juſtaſque preces agnoſcens Urbinas, quingentis Peditibus, ac triginta Equis cum Præfecto nomine Gentilis Eugubinus, in auxilium immiſſis, ad primum horum conſpectum Varanenſes reformidata pugna, necquiquam Hercule objurgante, atque hortante, præcipitem fugam capeſſere, ipſeque Hercules ab hoſte interceptus in Arcem Piſaurenſem in cuſtodiam abducitur. Matthias, cui tantum tercenti Pedites ſupererant, audito belli eventu, ultimam tentaturus fortunam, hac cum parva manu Camerinum verſus iter intendit; adventanti cum ſatis frequenti Equorum Peditumque nume-

numero occurrit Julius de Mirabella, consertaque pugna, Varanenses undique in fugam se proripiunt, Matthias hostium manus effugiens, ac in tutiora se se recipiens, spe Camerini potiundi ademta, Ferrariam repetiit. Ea periculosa aggressione explicata, Catharina, usque adeo incredibili odio in Varanos incenso, animum ad vindictam vertit, ut eos rerum capitalium Præfectis subjecerit, ac morte puniendos pronuntiaverit, livore, per lemma. *Protege me a Conventu malignantium*, in exposita Moneta ad facti memoriam signatum, satis prodito.

Duodecimus argenteus nummus præstat in margine has voces IVLIA CAM*erini* DVX, in area Floccum ad designandas forsan commotiones ante, & post mortem Patris in sua Familia exortas, quod proprium est Flocci, vento scilicet agitari, & hinc inde commoveri. In secunda nummi fronte legitur in gyro S. VENANTIVS, quatuor postremis litteris in area in formam Crucis dispositis. Alter porro a Julia obsignatus penes me argenteus servatur nummus, magni ævo hoc nostro a Christianis factus, cultusque; hunc sanè rudi vero, & non genuina forma Argelatus protulit Part. III. de Monetis Italiæ Tab. x.; At tu candidam hujusce iconem hic observabis. XII




Ad eandem Juliam spectat decimus tertius argenteus nummulus, in cujus prima facie Varanorum apparet Schema litteris in circuitu descriptis. IVL. CAM. DVX. Postica inscripta est his litteris S. ANSVINVS. E. nempe *Sanctus Ansovinus Episcopus*, & in medio ipsius Sancti effigies. XIII

Decimus quartus aureus nummus exhibet Scutum in quo Varanorum, & Rovereę Familiæ apparent insignia, adjungitur inscriptio. IVL. VAR. DE RVER. CAMERT. DVX, nempe *Julia Varana de Ruere Camertium Dux*. In altera facie Crux ex Roboreis ramis compacta cum lemmate. NON TIMEBO MALA QVONIAM TV MEC*um* ES, ut legitur in XIV

Psalmo 22. Joannes Maria Camerini Dux morti proximus; ne Feudum ad alienos migraret, sed in sua adhuc Stirpe remaneret, condito a se testamento disposuit, ut Julia nuberet uni ex filiis Herculis de Varano ex Rodulpho nati, ac tunc Ferrariæ commorantis; placet hic Testamenti verba apponere a Petro Venantio Bringnano Camerini Notario exarati Anno MDXXVII. sexto idus Augusti = *mandans ut præfata Domina Julia debeat tradi in Uxorem uni ex Filiis Domini Herculis de Varano consobrini ejus Testatoris &c.* & post pauca, *& hoc fecit ipse Testator, ut conservetur Illustrissima Familia de Varano* = Verum Juliæ Matre Varanis infensâ, emortui Mariti voluntati parere renuente, Matthias Herculis major natu filius, se, quod non valuerat precibus, armis consequturum ratus, Anno MDXXXIV. levi cum Comitatu novam tentaturus Fortunam, tacito gradu Fulgineum secessit, ibique armatorum collecto manipulo, tertio idus Octobris sub altissimo noctis silentio una simul Camerinum contendunt, admotisque scalis, ac muris nemine resistente superatis, in ædes Catharinæ irruere. Illa strepitu, hostiumque clamore excusso somno, pellicea tantum amicta Tunica, a superveniente Varano ad Arcem trahitur, Custodi imperatura, ut Arcem, & Juliam, quæ intus erat, in Aggressoris manus dimitteret, quæ cum Aranino Cybò (sic enim appellabatur Præses) tormenti Bellici explosionem in hostem jussisset, Matthias ita in eam acerbe est invectus, ut vagina educto ense se occisuram minaretur. At fortis ne dicam pervicax Mulier, mortis minis spretui habitis, perpaucis, in cęleste Numen noxarum veniam impetratura, emmissis precibus, Caput abscindendum præbuit; quas ob res Matthias animum despondens, infensique populi tumultum verens, secum Catharina obducta, Urbe excedit. Camertes interea Catharinæ captivitatem, & quæ gesta erant intellectis, arma quæque obvia rapientes, hostes consectantur, qui tentato nequidem certamine fugam capessère; ex hisce duodeviginti intercepti, laqueo suspensi, perpatrati facinoris pœnas dedere. Hujusce facti acerbitate Catharina perculsa, fortissimo, ac nobilissimo defensore, ut suæ deinceps, & Urbis saluti prospiceret, sibi opus esse rata, nihil æque faciendum duxit, quam Juliam duodecimum nondum annum excedentem, Guidoni Ubaldo Francisci Mariæ Urbini Ducis filio, Ditioni suæ finitimi, ac in armis celeberrimi, nuptui

nuptui tradere; raptimque inauſpicatæ Camerini nuptiæ factæ ſunt. Hæc cum nuntiata Romæ forent, Paulus III. Farneſius, qui Clementi jam functo iiſdem ferme diebus in Pontificatu ſucceſſerat, id ægrè paſſus, Catharinæ, & Juliæ, ſe ab omni jure antiquæ Varanorum Ditionis, ob Ducis mortem, decidiſſe, Apoſtolicis litteris denuntiavit, Urbemque per ſententiam jam devolutam interdicto ſuppoſuit; nec mora Copiis ſub Joannis Baptiſtæ de Sabellis ductu ad occupandum Ducatum immiſſis, Rovereus comeatu, ac milite incredibili celeritate Camerino munito, Pontificiis cum inſtructo exercitu obvius fuit, ac ubi Caſtris Caſtra collata, levibus ſæpius certatum præliis, Urbinati potius inclinata ſpe. Inter hæc a Pontifice, armis, in Peruſinos ab Eccleſia jam deſcitos, ex agro Camerte revocatis, Urbeque Carolo V, qui ſub id tempus Romæ degebat, efflagitante, a Cenſuris exempta, Guidubaldus, Julia, Civeſque in tripudia, ac feſtos luſus effuſi, pace alta, ac tranquillitate fruebantur, tantaque moderatione, ac ſtudio Urbinas res ægras Camertium foverat, ut ipſi nec hoſtium conatus, vafritieſve amplius vererentur, quo tempore aureus hic nummus cum lemmate: *Non timebo mala quoniam tu mecum es* percuſſus eſt.

In Decimo quinto argenteo nummo Juliæ, & Mariti Stemmata conſpiciuntur, quæ etiam in decimo ſexto ex argento pariter conflato obſervantur; in primo circumſtant litteræ IVL. VAR. DE RVERE. CAM. DVX., in altero GVIDOBALDVS ET IVLIA DVCES. In Poſticis Sancti Venantii ſtantis eminet Imago, dextera vexillum, ſiniſtra Urbis typum ſuſtinentis, cum epigraphe S. VENANTIVS CAMERINI. Inceſſerat Annus trigeſimus octavus ſupra milleſimum, & quingenteſimum, quo Franciſco Maria Urbini Duce jam ſublato, altera armatorum Pauli III. expeditio in Camertes fuit, qui cum priorem ob Peruſinorum defectionem ſe ab incepto abduxiſſe, graviter pateretur, rurſus, num Camerinum occupare poſſet, ex cujus captura ſe maximos Familiæ ſuæ honores, opeſque cumulaturum ſibi pollicebatur, experiri conſtituit. Gravi ergo comparato exercitu, cui præereat Stephanus Columna, Eugubium verſus movit. Guidubaldus interea ab exploratoribus undique miſſis, de belli apparatu, hoſtiumque adventu certior factus, nihil ad omnes caſus ſubſidia comparaturus intermittebat. XV.

tebat. Erant Urbinatis vires duodecim armatorum millia, quorum parte in Urbium præsidia disposita, reliquos in una acie, quò res postularet progressuros, coegerat: quum Alexander Vitellius Arcis Florentinæ Præfectus, clam ad dirimenda dissidia, inscio tamen Duce, a Pontifice addictus, Rovereum colloqutus, quo in statu res suæ essent prodidit, Copias numero, roboreque Pontificiis debiliores, Ærrarium exaustum, nullam spem in Cęsare, Venetisque habendam; Pontificem nihil aliud quam Camerini Ducatum expetere, nullamque pacem, nisi dedita Urbe, ab ipso se habiturum, perpenderet. Agnoscens periculum Urbinas, compositioni flectitur, habitoque de deditionis legibus colloquio, iis in primis exceptum, ut Juliæ præter Allodialia bona, octo & septuaginta aureorum Scutorum millia dotali jure numerarentur, quibus solutis, Ducatus cessio a Guidone Ubaldo facta est. Utque aliquid de Catharina Juliæ Matre referamus; Hæc pœnitentia ducta, se ipsam, quod tam dura, & illiberalis in voluntatem Mariti, ac Varanos fuisset, tacite incusans, oblationibus Generi posthabitis, Florentiam petiit, ibique Auno MDLVII. ex humanis decessit.

XVII. Æreum sub num. XVII. evulgatum Nummisma exhibet Herculis de Varano faciem cum inscriptione HERCVLES VARANO CAMARINI DVX II. A tergo Turris cum lemmate ESTO NOBIS D*omi*NE TVRIS FORTITVDINIS. Hic est Hercules ille ex Rodulpho natus, qui post mortem Patris, cum se ex præpotenti vi Julii Cęsaris Patrui sui a Feudi jurisdictione exclusum agnosceret, Ferrariam confugit, qua in Urbe ab Avunculo Hercule tunc Duce, summa benevolentia, qua Nepoti decebat, exceptus, feudis, ac prædiis donatus est. Hoc rerum statu Hercules cum Philippa Guarneria, insigni pulchritudine Matrona nuptias fecit, quæ cum tres & viginti filios peperisset, e vivis excessa, ab Alexandro Guarini illo tam nobili Enigmate = *Quæ sunt pro his quæ non sunt, quæ si essent pro his quæ cum sint, non sunt quæ videntur esse, pro his quæ clam sunt, in causa sunt: ut quod estis sitis* = meruit in funere celebrari. At post Joannis Mariæ mortem, bis magnis conatibus Camerinum repetere adnixus, semperque inde repulsus, Anno MDXXXIV. suæ ad Pontificem Causæ patrocinaturus Romam contendit. Electus fuerat eo anno

Paulus

Paulus III. Farnesius, cujus gratiam, amicitiamque certis officiis antea promeruerat, atque ab eo omnia, quæ sibi Principatum possent constituere, nullo negotio se impetraturum sperabat. Re Pontificis jussu per Jacobum Simonetam, ac Hieronymum Ghinuccium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Judices ad id constitutos, impigrè perpensa, Herculi Causam adjudicarunt; Quòd a Pontifice, Julia exauctorata, septimo idus Januarii MDXXXV. in Concistorio confirmatum est = *Ac Herculem dum in Humanis erit* ( erant hæc verba sententiæ ) *Ducem Camerini, & Oppidorum, Terrarum, Castrorum, Fortalitiorum, Locorum, Villarum, Communitatum, Districtuum, Territoriorum, Jurium, Jurisdictionum, Pertinentiarum omnium, nec non Communitatis, Civitatis Camerini, & Universitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, & Villarum, locorum quorumcunque, & incolarum, ac habitatorum eorum generalem, in iisdem temporalibus, Vicarium, Rectorem, Gubernatorem, & Administratorem constituimus, & deputamus &c.* Verum Pontifex e sententiâ recedens, Herculi jus Regni abrogavit, rebelliumque numero habendos, sanxit, quoscunque ex Camertibus, qui ei obedientiam, auxiliaque præstitissent; habitoque Concistorio nonis Novembris MDXL. Octavium Farnesium ex Petro Aloysio filio natum, Camerini Ducem pronuntiavit, eumque sequenti anno, ubertissimis Varano suo juri cedenti præmiis pollicitis, in Principatus possessionem immisit. Hercules deplorata dignitatis retinendæ spe, sive rebus suis timens, sive precibus, ac pollicitationibus motus, cessioni animum adjecit, pactisque cum Pontifice conditionibus, ipse, & filii, duobus, & triginta sibi millibus aureis scutis numeratis, non in Camerinum tantum, sed & in Allodialia bona, quorum media pars, ut potequi ex Rodulpho prodeuntes, qui cum Julio Cæsare, Joannis Mariæ Patre Principatum diviserat, penes ipsos erat, suo, quod habebant, juri cessere, ex quibus bonis non paucam nummorum summam, non tam immodicam porrò, ut in Articulo *Varano* Morerius scripsit, in singulos annos exigebant. Et hic, hujusce vetustissimæ Familiæ, fama rerum gestarum, commendationeque pietatis præstantissimæ, Imperii finis fuit. Hercules Ferrariam remeatus, octuagenario major ad quietiorem vitam secessit, quatuor post se relictis filiis, Matthia scilicet, Fabritio, Camillo, ac Petro Gentile; tribusque filiabus Hippolyta, Faustina, & Julia. Ex Petro

Gentile

Gentile ortus Julius Cæſar II., Julio Cæſare Carolus, Carolo Joſeph, & Alphonſus: Ex Joſeph Hercules II. Hercule Antonius, & Venantius, ex Antonio Hercules III. in humanis exiſtens, vivit etiam Venantius, & ejus filius Rodulphus duobus, & viginti menſibus, & decem diebus natus (ſcribo hæc decimo Kalendas Auguſti) Ex Alphonſo Julius Cæſar III. Julio Cæſare ALPHONSUS hujuſce Opellæ Mœcenas, veteri, & admiranda probitate Eques, ac morum integritate præditus, nec non ob ſummas ingenii dotes vario litterarum nitore, & Poeſis præcipue perornatus, ut binæ ab eo editæ Tragediæ Italico carmine elaboratæ, *Demetrius* ſcilicet, & *Joannes Giſcala Hieroloſomitani Templi Tyrannus* teſtantur. Hæc itaque de Varanorum Familia breviter dixiſſe ſufficiat, alios etiam poſt Principatum inſignes edidit viros, quorum virtutes, ac laudes, egregiaque facinora domi, foriſque geſta prolixitatis evitandæ gratia recenſere non libet. Hos ferè omnes ad ſua uſque tempora Camillus Lilius acuratiſſimè complexus eſt, qui plura deſideranti abundè ſatisfaciet.

I




II





III





IV




V




VI




VII





VIII




IX




X




XI




XII




XIII




XIV




XV




XVI




XVII




Æ



E CRE.

# CREMONÆ.


I. ÆReus primus argento mixtus Cremonæ percuſſus nummus exhibet in medio Crucem, & binas ſtellas, circumſtant litteræ CREMONA. In gyro alterius partis legitur FREDERICVS, in area I. P. R. nempe *Imperator*: Crucem Urbes in ſuis nummis ſignare cęperunt poſt Caroli Calvi Imperatoris Decretum Anno DCCCLXIV. in quo præcepit = *ut in denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum habeatur in gyrum, & in medio noſtri nominis monograma, ex altera vero parte nomen Civitatis, & in medio CRVX habeatur* = quem morem in nummis fere omnibus Italicarum Civitatum obſervatum agnoſcimus.

II. Inter perraros in meo Studio exiſtentes nummos, ſuum obtinet locum etiam argenteus iſte a Cabrino Fondulo Cremonæ Tyranno obſignatus, cujus nomen in anteriori nummi parte exaratum legimus. In circuli porro adverſæ faciei ſummitate obſervatur Leo Acinacem ſufferens Fonduliorum gentilitium Scutum, litteris ſubſequentibus CREMON. in medio A. quatuor circulis circumſepta. Evulgata Joannis Galeatii Mediolani Ducis morte, Copiarum Duces, ut in Brixiæ nummis innuimus, dilacerato ejus imperio, ſinguli ſingulas Urbes ſibi ademerunt. Suus porrò non defuit Cremonæ Tyrannus Carolus Cavalcabos vocitatus, qui Cabrini Fonduli ſui in bellicis rebus primarii Ducis ope, Joanne Ponzono pulſo, a quo Urbs prius fuerat occupata, iniit Principatum. At Fondulus aura, & ipſe dominandi elatus, ſumma cum ingrati animi nota Carolo inſidias ſtruxit, eumque Laude Pompeja redeuntem cum fratribus, & cognatis trucidavit; nec mora Cremonam contendens Urbe, Arceque potitus, cum de Anno MCCCCXIII. Sigiſmundum Imperatorem Cremonæ excepiſſet, illius Urbis Vicarius Imperialis ab ipſo conſtitutus eſt. Cæterum Philippus Maria Mediolani Dux poſt obitum Fratris ad recuperandas paterni Imperii Urbes animum adjecit, immiſſiſque in agrum Cremonenſem ſub Carmagnolæ ductu Copiis, cum per quadrimeſtre Cabrinus obſidionem ſuſtuliſſet, hoſteſque in dies augeri cognoſceret, deſperatis undique auxiliis, Urbis, nonnullis cum Philippo Maria pactis conditionibus Anno MCCCCXXII. fecit deditionem, qui triennio poſt cum in Philippum

Flo-

Florentinis adhæreret, & diri odii cogitationes extenderet, ab Oldrado Lampugnano felici aſtu interceptus, & Mediolanum deductus, in publico Foro capite plexus eſt.

I



II



# FAVENTIÆ.

UNicus æreus Faventiæ obſignatus penes me ſervatur nummus, in cujus primæ frontis area ſanguinis guttis aſperſa, ferrum quo vena pertunditur apparet ſculptum; e litteris in limbo poſitis partim exeſis hæ ſuperſunt ASTORG...... FA, Subaudi MANF. DO. hoc eſt *Aſtorgius Manfredus Dominus Faventiæ*. A tergo Sancti Petri effigies litteris in gyrum poſitis S. PETRVS. Nummum ex litterarum forma ſub Aſtorgio Galeotti filio percuſſum facio, qui licèt quadriennis Populi tamen voto occiſo Patri ſuffectus, ad annum uſque MDI. tenuit Principatum, quo Valentinus Borgia Pontificiis armis fultus, ad oppugnandam Faventiam progreſſus, cum diù graviſſimum obſidionis onus Cives ſuſtuliſſent, totieſque cum hoſte magno vulnerum, & mortis contemptu decertaſſent, tandem tędio belli fracti, & ad extremam commeatus inopiam redacti, iis conditionibus deditionem fecere, ut ſalvis omnium vitis, ac fortunis, eorum Principi Aſtorgio, quò vellet progredi, ſuorumque prædiorum fructibus uti, fas eſſet. Cęterum violata fide ſpecioſiſſimus Juvenis duodeviginti tantum natus annos Romam ductus, vitam amiſit Guicciard. in Hiſt. Ital. Lib. IV. Bembus Lib. V.



# FERRARIÆ.

EXterarum hucuſque in nummis examinandis immoratus Urbium; Ordo, Patriæque amor Ferrarienſes ut nondum evulgatos hic exhiberem, expoſceret; at pleroſque modò lubens omittam. Scito enim ab Officina noſtra ad hanc uſque diem in meo Studio percuſſos nummos ſervari, quos omnes conjunctim, ſi Deo placuerit, Italico ſermone, ea, qua uſus eſt methodo in Neapolitanis Vergara, luci mandare propoſui. Ne porrò hujuſce Scientiæ amatores jejunos planè dimittam, decem tantummodo exponam.

I. In anteriori ærei primi argento mixti rariſſimi nummi parte F. D. R. C. medium tenent, ideſt *Fridericus*, & in limbo IMPERATOR. Poſticam implet Crux cum litteris in circuitu FERARIA. Nummulus hic, quem unicum e voracis temporis faucibus ereptum facio, illo ævo Bagatenus, ſeu parvulus Ferrarinus vocitabatur, quorum duo Denarium, vigintiquatuor Solidum Ferrarinum ſeu Ferrarinorum conſtituebant; ejus pondus ad lancem Venetam examinatum Siliquam unam, vulgo *Carato* cum dimidio, ſive ſex granos æquare comprehenditur; Denarii vero pondus, quorum non exiguus numerus penes me ſervatur, fræquentius tribus Siliquis equipollet, nonnullos porrò inveni grani dimidium excedentes, quæ ponderis diverſitas ex ipſis nummis magis, minuſque tempore, & uſu detritis ſanè cooritur. Cœterum tam Denarius, quam Parvulus eadem liga compacti, ac forma conſcripti ſunt. Denarii Ferrarienſis Icon extat evulgata tum apud Clariſſimum Muratorium Lib. 11. Antiq. Ital. Med. Ævi Diſſert. 27. num. 1., cùm ſub initium Diſſertationis a me elapſo anno in publicam lucem editæ Ferrariæ typis Bernardini Pomatelli, cui Titulus. *Dell' Antica Lira Ferrareſe di Marcheſini detta volgarmente Marcheſana*, in qua nonnulla de Ferrarinorum Libræ valore pag. 200. 201. recenſentur.

II. Secundus ex ære pauculo argento mixtus nummus Aquilam expanſis alis Ateſtinorum ſtemma in area oſtendit, & in margine NICHOꝫ. MARCHIO. A tergo Urbis Ferrarienſis Inſigne cum epigraphe DE FERARIA. Sane AteſtinamGentem per quatuor Sæcula Vicariorum, ac Ducum titulo Ferrariæ imperaſſe, tritum eſt apud Hiſtoricos; Inter hoſce Nicolaus

hujus

hujus nominis tertius emicuit, cui nummum ex ſemigothicis litteris juxta illius temporis morem exaratis adſcribo, qui Alberto Patri Anno MCCCXCIII. in dominatu ſucceſſit, Princeps prudentia, gravitateque præſtans, ac in rebus bellicis celeberrimus. Pro controverſiis inter Philippum Mariam Ducem, & Sfortiam Generum componendis Mediolanum accitus, illorum animis vix conciliatis, repentino morbo correptus e vivis exceſſit Anno MCCCCXLI; Corpus Ferrariam delatum, in Æde Sanctæ Mariæ Angelorum ab ipſo condita humatur; cui ob ſingularem in Urbis regimine probitatem, a Senatu Populoque Ferrarienſi Ænea equeſtris ſtatua, Donatelli Florentini celeberrimi ejus ætatis Statuarii opus, quæ ad preſentem uſque diem admiratione non indigna viſitur, Anno MCCCCLI. in Foro erecta eſt.

Tertius ęreus pauca argenti portione mixtus rariſſimus Nummulus ad eundem Nicolaum ſpectat, in cujus areola cernitur littera N hac voce circumſepta M A R C H I O; hoc eſt *Nicolaus Marchio*. In poſtica Urbis noſtræ Teſſera cum inſcriptione F E R A R I A. Eo tempore hic Nummulus Bagatenus, ſeu Parvulus appellabatur, quorum quatuor Quatrenum, & vigintiquatuor Marcheſanum Solidum componebant, uti documentis indubiis in ſupracitata Diſſert. pag. 40. 41. demonſtravimus. Marcheſinorum Libra, quæ omni procul dubio viginti Solidis conſtabat, ſub hoc Principe Anno MCCCCX., quo tempore hunc nummum percuſſum facio, pro obulis 74. den. 9. $\frac{1}{4}$ noſtræ currentis Monetæ Ferrarienſis, ſive pro hodiernis ęreis Solidis Venetis, vulgo *Marchetti* 149 den. 3. $\frac{1}{4}$ expendebatur, qua ratione fit, ut in vigintiquatuor Bagatenos ſi extendere prętium velis, vulgari judicio duobus & viginti cum dimidio ex noſtris Ferrarienſibus Quatrenis, ſive ex Obulis tribus, & denariis novem conſtabit. III.

In Quarti non tam obvii ex argento puro conflati nummi fronte, recurrit Sanctus Maurelius Ferrariæ Epiſcopus ſtans, in actu porrigendi Paſtoralem virgam Leonello Urbis Principi pariter ſtanti, additis hiſce in circuitu vocibus. S. M. E. FERR. L. MARCHIO; ſcilicet *Sanctus Maurelius Epiſcopus Ferrarienſis Leonellus Marchio*. In poſtica Salvatoris Imago elevata dextera in actu benedicendi, ſiniſtra Crucem ſuſtinentis, in gyro exiguum Scutum Urbis noſtræ Inſigne, & Lemma IV.

XPS

XPS REX VENIT IN PACE · Leonellus illegitimus Nicolai III. filius, Patre functo, Urbis regimen ex juris, & Patris dispositione Herculi Fratri ex justis nuptiis nato debitum, Joannis Gualenguo tunc Sapientum Judicis potentia fretus, sibi usurpavit. Hic sui in exordio Imperii Generale Gymnasium Alberti, Patrisq: auctoritate inchoatum, clarissimis ad edocendas Scientias conductis Viris, reformare desudavit. Oratoriam, ac Poeticam artes callens binas Orationes, ad Sigismundum Imperatorem alteram, alteram ad Eugenium IV. Pontificem, recitavit, ac non invenusta, ut sua ferebat ætas, italico sermone edidit carmina, quorum nonnulla in libro Ferrariæ typis dato anno MDCCXIII. cui titulus = *Rime scelte de' Poeti Ferraresi antichi, e moderni pag.* 21. exarata perpenduntur. Cum Maria Alphonsi Aragonii Neapolis Regis Filia Anno MCCCCXLIV. nuptiis celebratis, sexennio post ex humanis decessit, Nicolao filio ex Margareta Gonzaga prima ejus Uxore procreato duodecim annos nato superstite.

V. Quintus æreus nummus Leonello imperante percussus est, ut indicant litteræ in adversa nummi parte conscriptæ, in qua & Stemma hujusce Urbis exhibetur. In antica porro visitur Sancti Maurelii stantis effigies cum diadema, & mitra elevata dextera ad benedictionem impartiendam, læva Pedum tenentis, litteris circumscriptis S. MAVRELIV. Hic est Sanctus Maurelius Episcopus Ferrariæ, & hujusce Civitatis Patronus minus principalis, cujus Corpus in Ecclesia Sancti Georgii extra muros ad hæc usque tempora servatur, & colitur.

VI. In sexto æreo perraro nummo pauculo argento admixto ostenditur Aquila expansis alis', antiquum Atestinæ Gentis Scutum cum litteris in circuitu BORSIVS MARCHIO. A tergo Ferrariæ Tessera, cui desuper insidet Aquila, & lemma DE FERRARIA. Leonello Anno partæ salutis MCCCCL. sublato, Borsius Frater a Civibus ingenti desiderio ad Urbis regimen renunciatus, honore justis excusationibus diu recusato, tandem in suam electionem consensit. Hic duodeviginti post a sua electione menses Fridericum Imperatorem Roma redeuntem, quem una cum Eleonora Uxore Nicolaus Pontifex coronaverat, Ferrariæ magnificentissimæ excepit, a quo Mutinæ, ac Regii Ducis titulo condecoratus est, die decimo octavo Maii Christi in Cœlum ascendentis triumpho celebri; idcirco evulgatus

num-

nummus hoc temporis intervallo percuſſus eſt, qui (ſicuti ſecundus & quintus) ea tempeſtate Quatrenus vocitabatur, quorum ſex Solidi, centumviginti Marcheſinorum Libræ valorem æquabant; Libra porro ſub Borſii Principatus initium obulorum 58. den. 2. $\frac{1}{2}$ hodiernæ Ferrarienſis Monetæ exiſtimationem non excedebat, quocirca Quatrenus hic Borſii pro tribus ex noſtratib. quatrenis ſexta denarii parte minus, ævo hoc noſtro, ſi penes nos eſſet, expenderetur.

Septimus aureus nummus ab eodem Borſio cujus effigiem VII. præfert cum epigraphe BORSIVS DVX 3. Œ. FERRARIE 3. Œ. percuſſus eſt. In ejus poſtica Chriſti reſſurgentis Imago, & lemma SVREXIT XPS REX GLORIE. Nummus hic aureus erat Ducatus Ferrarienſis, cujus valor Anno MCCCCLIV. duarum Librarum, & duodecim Solidorum Marcheſinorum prætium æquabat, unoque tantum Solido ab aureo Ducato Veneto vulgo *Zecchino* diſtabat, hic enim in ratione trium & quinquaginta Solidorum eodem anno in Ferrarienſi Foro expendebatur, ut videre eſt in ſupracit. Diſſert. pag. 69. = Cæterum Borſius tam ritè, Sanctèque Urbem rexit, ut adhuc viventi æneam ſedentem ſtatuam Cives in Foro conſecrarint. A Paulo II. Pontifice Romam accerſitus, Ferrariæ Ducis titulo Anno MCCCCLXXI. inſignitus eſt. Ferrariam reverſus quatuor poſt menſes occubuit; Corpus ad Chartuſianos delatum, quorum Cœnobium conſtruxerat, & dotaverat, in Clauſtro humatur.

In octavo argenteo nummo repręſentatur Dux Hercules ca- VIII. taphractus, Equo currenti inſidens, hiſce litteris circumſeptus, HERCVLES DVX FERRARIE. In poſtica Sancti Maurelii Epiſcopi Ferrarienſis Pontificalibus ornati indumentis in Faldiſtorio ſedentis effigies, dextera elevata in actu benedicendi, leva Paſtoralem Virgam ſuſtinentis, cum inſcriptione S. MAVRELIVS EPISCOP. Nummus hic ab Hercule in ſui Principatus exordio obſignatus vulgi ſermone (ſicuti & alter ſub num. IV.) *Groſſeto* vocitabatur, cujus pondus ſiliquas ſex reddebat, ac pro undicim illius ætatis Quatrenis, hoc eſt pro duobus Solidis Marcheſanis Quadrante minus pendebatur, uti ex ſequenti Præconio Ferrariæ promulgato die 28. Aprilis MCCCCLXXII. colligitur. *Intendendo il noſtro Illuſtriſſimo Principe, & Excelentiſſimo Signore Meſſer Hercule Duca*

*di*

*di Ferrara, di Modena, & de Regio, Marchexe di Este de Roigo Conte &c. che li Grossi d'Argento novamente battuti alla liga Veneziana in la Zecca di questa sua inclita Città di Ferrara al Conio, & Stampa de la Imagine di S. Maurelio da un lato, e dall' altro la Imagine de sua Excellentia a Cavallo, che valevano Quattrini xii. l' uno, non anno quel spazo, & corso a Venexia in te la conformita, & convenientia cum li Grossi Veneziani, che aveva quilli da Quattrini xii. l' uno battuti al tempo de la felice memoria dell' Illustrissimo quondam Duca Borso, per la disconvenientia del precio, che non ne và uno medesimo numero al Ducato Veneziano, come faceva, & farìa se fussero de valuta de Quattrini xi. l' uno, come vale il Grosso Veneziano, di che ne risulta damno, e prejuditio alli suoi Cittadini, & Subditi, & per questa cagione sua Celenza intenta continuamente al bene, utile, & comodo di questo suo fidelissimo Populo, come al suo proprio, ha deliberato & ordinato, che damò inanti se debbia battere Grossi a dicta liga Veneziana, che vagliano Quattrini xi. l' uno pur al Conio, & Stampa di sopradicto &c.* hoc est. *Cum ad aures nostri Illustrissimi Principis, ac Excellentissimi Dñi Dñi Herculis Ducis Ferrariæ, Mutinæ, ac Regii, Marchionis Estensis, Rhodigiique Comitis &c. pervenerit, argenteos Grossos ad Venetorum ligam in hujusce suæ Inclytæ Civitatis Ferrariæ Zecca recens obsignatos, Divi Maurelii imaginem ex uno latere exhibentes, & ab alio latere imaginem equestrem Excellentiæ suæ, qui erant valoris duodecim quatrinorum pro quolibet, non habere Venetiis eum cursum, nec eam conformitatem, & convenientiam cum Grossis Venetis, quam, Grossi quatrinorum xii. felicis memoriæ Illustrissimi quondam Ducis Borsii temporibus percussi, tenuere, ob inęqualitatem scilicet prætii, cum non eodem numero aureus Ducatus Venetus constituatur, sicuti constitueretur si pro undecim quatrenis tantum quilibet eorum, uti Grossus Venetus, penderetur; ex quo non læve suis Civibus, ac Subditis detrimentum cooritur. Hinc Excellentia sua communi bono, utilitati, commoditatique sui fidissimi Populi assiduè invigilans, ut Grossi imposterum ad dictam ligam Venetam, qui valeant quatrinos xi. pro quolibet cum dicta impressione procudi debeant decrevit, ac statuit*. Vide Differt. supracit. pag. 73.

IX. Alter subsequens argenteus nummus effigiem Ducis exhibet litteris circumductis HERCVLES DVX FERRARIE. A tergo visitur Annulus in cujus circulo insertus jacet Flos cum

suo


ſuo caule, in margine DEXTERA DomiNI EXALTAVIT ME verbis ex Pſalmo 117. deſumptis. Pondus hujuſce Nummi, quem percuti juſſit Hercules Anno MCCCCLXXV. duodecim ſiliquas, & duos granos æquabat; ejus valor, ex ſequenti publica denuntiatione Ferrariæ facta eodem anno die xi. Junii, eruitur, in qua hæc habentur = *Il ſe ſono de nuovo facte, & fabricate de Commiſſione dell' Illuſtriſſimo Principe, & Excellentiſſimo Noſtro Segnore Meſſer Hercule per la Dio Gratia Duca de Ferrara, Modena, & de Regio, Marcheſe da Eſt, & de Roigo Conte &c. Monete d' Arzento in queſta Zecca di Ferrara, cioè Groſſoni, che vagliono Groſſiti tri luno da quattrini xi. luno, & Diamanti, che vagliono Groſſitti dui luno da Quattrini xi. luno, li quali Groſſoni, & Diamanti ſono alla liga del Trono d' Arzento Veneziano, & proportionati al peſo del dicto Trono*, hoc eſt. *Juſſu Illuſtriſſimi Principis, & Excellentiſſimi noſtri Domini Domini Herculis Ferrariæ, Mutinæ, ac Regii Ducis, Marchionis Eſtenſis, ac Rhodigii Comitis: Recentes in hacce Ferrarienſi Zecca argenteę Monetæ obſignatæ ſunt, Groſſoni videlicet quorum ſinguli groſſis tribus quatrinorum xi. pro quolibet æquivalent, & Adamantes duobus groſſis quatrinorum xi. pro quolibet æquivalentes, qui Groſſoni, atque Adamantes ad Veneti argentei Troni ligam, habitaq: ad pondus dicti Troni proportione, conſtituti ſunt*. Ex quibus evincitur Ferrarienſem Libram fuiſſe imminutam, & ad quinquaginta modernos noſtros obulos, & denarios decem redactam, ſignatique argenti ad aurum proportionem undecuplam, cum tertia unius partis portione extitiſſe; aureus enim Ducatus Venetus in foro noſtro pendebat Libras tres tribus ſolidis minus. Eadem proportio penes etiam Venetos vigebat, argenteam enim Monetam decem ſolidos valentem, ac quindecim ſiliquas, & tres granos in pondere æquantem, anteriori anno percuſſerat Nicolaus Marcellus, quam a ſuo agnomine Marcellum dici voluit, quo tempore Aureus Ducatus Venetus pro ſex Libris, & quatuor ſolidis Venetiis expendebatur; quæ omnia in ſupracit. Diſſert. pag. 76. 77. 78. 79. colliguntur.

Ad eundem Herculem ſpectat decimus argenteus nummus, X.
in cujus antica oſtenditur ipſius Protome, litteris in gyrum poſitis, HERCVLES DVX FERRARIAE II. In poſtica fabuloſi Herculis in actu occidendi Taurum imago abſque ulla inſcriptione, inferius D. F. N. Hic eſt Hercules ex Nicolao

F legi-

legitimo thoro natus, Borſi in Principatu Succeſſor, qui Venetorum armis Anno MCCCCLXXXII. impetitus, cum per biennium periculoſum, ſibique obnoxium bellum ſuſtuliſſet, tandem Xiſti IV. Pontificis, qui bellum accenderat, auctoritate, pace conciliata, in hiſce conventum, ut hinc inde capta reſtituerentur, Rhodigio, Lendinaria, Abbatia, & Adria, exceptis, quo tempore ſub Venetorum poteſtate eſſe cępere. Urbe dein viis, ædificiis, ac lapideis muris ampliata, e mortalibus rapitur, Anno qui fuit a Virginis partu quintus ſupra milleſimum & quingenteſimum; Alphonſo, quem ex Eleonora uxore, Ferdinandi Neapolis Regis Filia, ſuſtulerat, Regni hærede relicto.

I



II




III





IV




V





VI




VII




VIII



IX X




## FIRMI.

UNicum habes nondum evulgatum æreum Firmi percuſſum nummum, in cujus prima fronte Sancti Epiſcopi viſitur facies (quam Sancti Savini ex aliis Monetis Firmi ſignatis coniicio) cum lemmate DE FIRMO. In medio averſæ partis Crux cum lateribus latioribus, & ornatis, his circumcincta litteris F. S. VICECOMES, nempe *Franciſcus Sfortia Vicecomes*. Franciſcus Sfortia Piceno (uti in tertio Aſculano nummo innuimus) occupato, & ab Eugenio IV. illius Provinciæ Marchio, Eccleſiæque Signifer, donec viveret, creatus, Firmi, totius Marchiæ Metropolis, ſedem conſtituit. At tanti beneficii immemor, cum a fide declinaret, & Pontificis hoſtibus faveret, res ſuas confregit; Eugenius enim cum Alphonſo utriuſque Siciliæ Rege inito fœdere, in Picenum Copias immiſit, a quibus victus Sfortia, & a Marchia expulſus, occupatæ Urbes ad obſequium Pontificis rediere. Sfortia ergo imperante expoſitus nummus Firmi obſignatus eſt. Franciſcus Adamus de Reb. geſtis Firm. Lib. II. Cap. CI, & CII.




## FLORENTIÆ.

VEnio ad Florentinos nummos, in quibus Familiarum Scutula, a Muratorio Confanoneriis aſſignata, ad Sancti Joannis Baptiſtæ humerum dexterum ſępenumero obſervantur appoſita. At a Joanne Villano in ſuo Libro Mſ. *Della Moneta*

*Fiorentina* penes ſupra laudatum Franciſcum Victorium ſervato, Monetariæ Officinæ Præſidibus *Monetæ Dominis* vocitatis adjudicantur, littera ſuper Scutulum exarata, pro nominis, vel agnominis initiali conſiderata. Ex hiſce porro, ne Lectori ſim tędio, octo tantum, reliquis omiſſis, exponam; in quo-
I. rum primo argenteo oſtenditur Sancti Joannis Baptiſtæ in Cathedra ſedentis effigies, ad cujus dexterum humerum ſtat gentilitium Scutum, in quo ſex teniæ denticulatæ oblique ab latere dextero conſcripta Zona interſecatæ conſpiciuntur, cum his circumſcriptis vocibus SANTVS IOANNES BATISTA. In adverſo Flos cum lemmate DET TIBI FLORERE XPS FLORENTIA VERE.

II. In ſecundo argenteo nummo Sancti Joannis Baptiſtæ in actu ambulandi repræſentatur Imago, dextera pendentem Schedulam tenentis, cum litteris ECCE, ſubaudi reliqua, nempe *Agnus Dei*, ſiniſtra Crucigeram haſtam geſtantis, ad cujus dexterum humerum in ſuperiori nummi parte ſtat Scutulum, in quo tres Roſæ circa Capreolum cum tranſverſa Zona obſervantur, antiqua Familiæ *Maſi* Gentilitia Icon; litterâ L ſuper ſcutum ſignatâ, Ludovici forſan nomen indicante, qui in humanis agebat Anno MCCCCLXXXIII, aut Lotti, qui vixit Anno MCCCCLXXXXII; in limbo S. IOHANNES Baptiſta. A tergo Lilium Florentinorum Stemma, & in circuitu FLORENTIA. Cæterum præclaram hancce Familiam Florentiâ oriundam, Confanonerii munere, ampliſſimiſque dignitatis gradibus, vigente Republica, fuiſſe honeſtatam, ex documentis indubiis didicimus, cum Coſmus ex Vincentio natus, poſt ſextodecimi medietatem Sæculi Florentia recedens, Parmam, Alexandro Farneſio tunc Duce, cum Familia perexit, penes quem tanti fuit, ut illum, dum Hyſpaniarum adivit Regna, ſibi Socium aſciverit, ubi Philippi II. Regis gratiam ſic fuit Coſmus ipſe promeritus, ut inter bellicos illius intimos Conſiliarios fuerit cooptatus. Coſmus alter ex eo natus eſt, ex quo Franciſcus, qui primus Ferrariam ſe contulit, ibique Familiæ ſuæ fundamenta jecit, genuitque Joannem Baptiſtam, a quo ortus eſt Comes Bartholomæus nunc vivens, qui ob virtutem, & merita, a Civibus ſexies in Sapientum Judicem aſcitus, hujuſce publica Urbis negotia ſumma cum laude fuit moderatus.

III. Tertius Argenteus nummus oſtendit Sanctum Joannem Baptiſtam,

tiſtam, Chriſtum Dominum baptizantem, inferius Albiziorum Gentilitium Scutum cum littera B; in circuitu S. IO. BAPTIZANS. A tergo Lilium, & Epigraphe ut ſupra.

In quarto argenteo nummo, Sancti Joannis Baptiſtæ, Chriſtum Dominum baptizantis, repręſentatur Imago, cum Scuto ad Chriſti humerum, in quo ternæ Lunæ in tranſverſa faſcia impreſsæ, ac dexteram verſus flexæ obſervantur, Familiæ Strozzæ Teſſerarium Inſigne, deſuper Littera G. cum his vocibus in ambitu S. IOANNES. B. a tergo Lilium, & Lemma ut in ſuperiori. IV.

Quintus ex argento non puro conflatus nummus ejuſdem Sancti Joannis Baptiſtæ ſtantis inſignitur Imagine, cum ſcutulo in quo tria animalia conſpiciuntur, & littera B; in circuitu S. IOANNES B. In poſtica Lilium, & inſcriptio ut ſupra. V.

Ad Familiam Victoriam ſpectat ſextus æreus pauculo argento admixtus nummus: præſtat hic Sancti Joannis Baptiſtæ effigiem, ſiniſtra baculum tenentis, in cujus apice crux eſt, dextera exiguum Scutum ſuſtinentis, in quo tria Lilia in tranſverſo oblique baltheo obſervantur impreſſa, deſuper littera N, *Nereus* nempe, cum epigraphe S. IOANNES B. In poſtica Flos, & in circuitu FLORENTIA. VI.

Septimus ex ęre quidem, ſed ut videtur pauculo etiam argento permixtus nummus exhibet in medio Sanctum Joannem cum Scuto, in quo ſtant ſex inſcalpta Liba Mediceorum ſchema; A tergo Lilium, & lemma uti in ſuperiori. VII.

Octavus argenteus nummulus exhibet Sancti Joannis ſtantis Imaginem, & ſcutulum, litteris in gyrum poſitis S. IOHANNES; In adverſa Flos lemmate circumſcriptus DE FLORENTIA. VIII.

Octo a Florentina libera Republica ſignatis nummis jam explicatis, unicum tantum, a Victorio licet evulgatum, ſub Mediceorum jugo redacta, exponam. Eſt hic argenteus, in cujus prima fronte Alexandri Medicei apparet Protome, cum epigraphe. ALEXANDER M. R. P. FLOREN. DVX, ſcilicet *Medices*, ſeu *Mediceus Rei Publicæ Florentinæ Dux*. In altera obſervantur Sanctorum Martyrum Coſmi, & Damiani Icones cum his vocibus in limbo S. COSMVS. S. DAMIANVS. Pace cum Carolo V. a Clemente VII. his conditionibus conciliata, ut Margaritam Filiam ex contubernio natam, Alexandro Laurentini filio deſponderet, & Florentinos, qui jugo IX.

excuſ-

excuſſo Mediceo in ſuo jure eſſe cœperant, debellaret; Idcircò Cæſar in Agrum Hetruſcum valido cum exercitu Aurantium miſit, qui Arretio, & Cortona occupatis, arcta obſidione Florentiam cinxit: Pugnatum interea ad Piſtorienſes montes, arridente in belli initio Aurantij nece fortuna, ſed verſa deinde alea, Florentinorum Copiæ ad internicionem delatæ, ac profligatæ ſunt: Tantis arctati Cives anguſtiis, libertate per biennium acerrime tutata, ad ultimam alimentorum inopiam redacti, in Cæſaris deditionem ſe ſe conjecere, cujus Decreto, veteri ſubrogato Magiſtratu, Alexander Gener Florentinæ Reipublicæ Dux pronuntiatus eſt.

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX




# DE FLORENIS.

FLorenum a flore in ipſo ſignatum ſic vocitatum, auream unius drachmę ad Florentinam Lancem ponderis monetam, a Florentinis primò percuſſum Anno MCCLII. ex Joanne Villano in Hiſt. Flor. Lib. VI. Cap. LIV. didicimus, cujus verba quamvis vernacula non piget adſcribere. = *Nel detto tempo, tornata, e ripoſata l' Oſte de' Fiorentini in Firenze colle vittorie prime, anzi la Città montò in ſtato, Ricchezza, e Signoria, ed in gran tranquillità, per la qual coſa i Mercanti di Firenze per l' onore del Comune, ordinarono col Popolo, e Comune, che ſi batteſſe Moneta d' Oro in Firenze, che prima ſi batteva Moneta d' Ariento di 12. denari l' uno, onde allora ſi cominciò a battere la buona Moneta del fino Oro di 24. Carati, e chiamoſſi Fiorino d'Oro, e contavaſi l' uno Soldi 20, e ciò fù a tempo di Meſſer Filippo Ugoni da Breſcia del meſe di Gennajo Anni di Criſto 1252, de' quali Fiorini otto peſavano un Oncia, e dall' uno de' lati era l' Impronta del Gilio, e dall' altro il S Giovanni*, quæ latinè reddita hæc ſonant. *Eo verò tempore poſtquam Florentinus Exercitus partis Victoriis Florentiam triumphans rediiſſet, ibique conquieviſset, Civitas ita opibus, Dominatu, ac pacis otio abundabat, ut Mercatores ad communem decorem una cum Populo, & Communi decreverint Monetam auream Florentiæ percuti, ubi primum Moneta dumtaxat argentea 12. denariorum cudebatur; Quapropter iis temporibus Monetam auri puriſſimi 24 ſiliquarum obſignari cęptum eſt, quæ Aureus Florenus vocitabatur, valoris pro quolibet viginti Solidorum, idque Domini Philippi Ugonis Brixienſis ętate contigit Menſe Januarii, Anno Chriſti MCCLII. Cœterum Octo ex hiſce Florenis, unciæ pondus æquabant, atque ab uno latere erat Lilium impreſſum, ab altero vero Sancti Joannis Baptiſtæ Imago*; Villano adhærentibus Vincentio

Bor-

Borghini in Differt. de Urbe Florentina Parte II, & Scipione Ammirato in Hift. Florent. Tom. I. Lib. II. aliifque fide dignis Scriptoribus, Leblanchus reiicitur, qui in Tractatu de Monetis Gallicis pag. 154. a Francorum Regibus primum Florenos fuiffe obfignatos, probare enititur, argumentis adamuffim a Clariffimo Muratorio refutatis. Zecchæ porro Præfidibus, qui fex menfium fpatio perdurabant, fas erat primis illis temporibus ad dexterum Sancti Joannis latus quodcunque pro libito imprimere, Navim veluti, Enfem, Maleum, Florem, forfan quia, cum nondum foret in ufu millefimum fuper Monetas infcribere, aliqua illorum temporum, quibus fuerant percuffæ, memoria remaneret. Horum porro Florenorum cum plufquam duodecim penes me habeam, non abs re duxi, duos ex illis in lucem proferre, quorum mentionem inftituit laudatus Villani in fua Hiftoria *Floreni auri*, quam fic exorditur. *In Dei Nomine &c.* ut legitur apud Argel. de Monet. Ital. part. 4. pag. 27, & 28. Progrediente vero tem-

I II

pore, ac Sæculis nobis propinquioribus, ad Sancti Joannis Baptiftæ dexterum latus, fuarum Familiarum Infignia apponi curarunt, uti in fubfequentibus hifce duobus Florenis hucufque non evulgatis oftenditur. Cœterum ad Florentinorum fimili-

III IV

tudinem, & pondus, ferè omnes Europæ Principes aureos nummos fignare cęperunt, ut videre eft in fequenti nondum pariter obfervato, a Boleslao Silefiæ Duce percuffo

V

V



## LAVANIÆ COMITUM.

APud Ligures quinque ab hinc Sæculis Flifcorum nobilis efflоruit Familia, octogenis, & ultra Cardinalitiis Purpuris infignita, ac duobus Summis Pontificibus tertiodecimo Chrifti Sæculo condecorata, Hadriano fcilicet V., & Innocentio IV: præfuit ille octo & triginta tantum dies, alter annos undecim, menfes quatuor, & dies fexdecim; Jura Ecclefiæ acerrime hic propugnavit, Fridericum Secundum Imperatorem excommunicavit, & a Cęfarea dignitate depofuit. Hac Lavaniæ, & Mefferani tenente Principatum, Petrus Lucas, cujus argenteum nummum hìc fub num. primo expofuimus, enituit, in cujus prima fronte hujufce Principis oftenditur Protome, litteris in limbo pofitis PETRVS LVCAS FLISCVS LA*vaniæ* M*efferani* C*omes*. In poftica vifitur Equus abfque ulla infcriptione. I.

Ad eundem Principem fpectat fecundus æreus nummus, in cujus area ftat Parmula nulla infignium normâ confcripta, in faftigio corona exornata, cui infidet Aquila dimidia, hoc eft extans pectore tenus, cum epigraphe PETRVS LVC. FLIS. L. CO. C. D. nempe *Petrus Lucas Flifcus Lavaniæ Comes C..... Dominus*. A tergo in fuperiori limbi parte obfervatur cujufdam Sancti minuta admodum facies, circulo five nimbo ornata (quam Sancti Theonefti effe reor) fubfequentibus vocibus, SANTVS THEONESTVS MAR. in medio Crux. II.

Tertius argenteus nummus repræfentat Ludovici Flifci pileatam faciem affabre defignatam, cum litteris LV*dovicus* FLIS*cus* LAVANIE MESERANI D*ominus*. Pofticam illuftrat Sancti cujufdam Martyris Equo infidentis imago, dexterà vexillum fuftinentis, quam ex aliis nummis Lavaniæ percuffis Sancti Theonefti effe coniicio; in margine Aquilula, & lemma DEVS FORTITVDO MEA verbis ex Pfal. XLII. defumptis. III.

I II



III



# L U C Æ.

I. ASſpice tres in Officina Lucenſi ſignatos nummos, quorum primus argenteus ob Chriſti inſculptum eminet Vultum, ſumma veneratione a Lucenſibus celebratum, cum inſcriptione SANCTVS VVLTVS DE LVCA, inferius minutum Scutum. In averſa Facie hæc vox L. V. C. A. medium tenet litteris Gothico excalptis charactere, cum inſcriptione in circuitu CAROLVS IMPERATOR. Luca Caput Tuſciæ Urbs a Caroli IV. Imperatoris Legato XXV. aureorum millibus nummum Libertate coëmpta, ad annum uſque MCCCC. conſervavit, quo Tyrannidem nactus Paulus Guiniſius, per annos XXX. unà cum Filiis tenuit Dominatum; quibus profligatis, tandem eam, qua nunc utitur, libertatem conſecuta eſt; quocirca monetam Liberatoris ſui nomine Cives condecorarunt.

II. In ſecundo argenteo nummo viſitur Imago cum litteris SANCTVS VVLTVS. In limbo adverſæ partis CAROLVS IMPERATOR, in area LVCA.

III. Eundem prorſus typum repræſentat in prima fronte æreus tertius nummus; In poſtica L. cum Crucicula ad latus aream implet; & in gyro OTTO IMPERATOR, Quartus forſan, a quo Lucenſes quamplurimis Privilegiis condecorati ſunt.

I

I II




III




# GENUÆ.

EN argenteus ſummæ raritatis nummus Genuæ ſignatus, in cujus circuli ſumitate viſitur Anguis Vicecomitum Stemma, & in area quædam machina litteris circumſepta F. M. DVX MEDIOLANI D. IA. quæ ſonant *Philippus Maria Dux Mediolani Dominus Januæ*. A tergo Crux & lemma. CONRADVS REX ROMA, nempe *Romanorum*, litteris, prout jacent in nummo, conſcriptis. Genua totius Liguriæ Metropolis, navalis præcipue belli peritia celeberrima, poſt multas expugnatas Urbes, barbaraſque ſubactas nationes, nec non de Piſanis, Venetis, aliiſq: potentiſſimis Populis ſpectabiles relatas victorias, tandem anno poſt Chriſtum natum MCCCLIII. a Venetis Aragoniis Conſociatis, Maritimo bello fracta, inteſtiniſq: inſuper odiis, civilibuſq: diſcordiis dilaniata, nativa neglecta libertate, Joanni Vicecomiti Mediolani Archiepiſcopo, ac Principi, ut rixas componeret, hoſtiumque conatus retunderet, ſeſe dicavit, quo tempore ſub Vicecomitum poteſtate eſſe cæpit, imperanteq: Philippo Maria evulgatus nummus cuſus eſt. I.



# DE MONETIS MACERATÆ.

I. MAceratensi Populo a Bonifacio IX. jus cudendi Monetas fuisse collatum Anno Christi MCCCXCII. signato Romæ diplomate octavo idus Junii, ex Pompejo Compagnono in hujus Urbis historia Part. I. Lib. V. eruitur. Hujusce Urbis sub numero primo a me expositus æreus nummus, ostendit in area Crucem, & in margine epigraphen DE MACERATA. A tergo, in ambitu S. IVLIA, in medio NVS nempe *Sanctus Julianus*.

II. Ad oram secundi argentei nummi repręsentantur binæ claves decussatæ, subsequentibus vocibus D. MACERAT, in area A quaternis circulis circumcincta. In Postica inscriptio S. IVLIANVS, quatuor postremis litteris in medium positis. Nummum hunc sub Eugenio IV. percussum testatur Xaverius Scilla pag. 21. cui æquo animo assentior.

III. Tertius æreus nummus ostendit Sancti Juliani stantis imaginem, oblonga amicti tunica, dextera ad benedicendum elevata, sinistra hastam sustinentis, cum epigraphe S. IVLIANVS. Hic est Sanctus Julianus Urbis Maceratensis Protector. Altera ex parte in medio binas claves decussatas, in ambitu lemma DE MACERATA. Nummum hunc Nicolai V. temporibus, ad Pontificiam dignitatem evecti Anno Christi MCCCCXLVII. signatum censeo; eędem porro Claves decussatæ in hujus Pontificis, Romæ, & Fulginei, æreis percussis nummis, quos Floravantes evulgavit sub num. V. & VI. observantur; binæ enim Claves decussatæ a Nicolao humili genere nato pro stemmate assumptæ sunt, ut videre licet in Cod. Vat. signato num. 3255. a Floravante pag. 115. citato, in quo hæc habentur: *Adì 4. de Marzo a 22. ore de Sabato li Cardinali se misero in Conclave nella Minerva, e furo in tutti* 18, *e Lunedì ad ora de terza fecero Papa Monsignor di Bologna, che era de Serazzano vile nazione, non aveva arme, e fece le Chiavi; altrimenti era valentuomo de Scienza, e fù Papa Nicolò V.* nempe; *Quarto nonas Martii die Sabati hora sexta Cardinales numero duodeviginti ingressi sunt Conclave in Cœnobium apud Sanctam Mariam supra Minervam, & die Lunæ hora tertia Bononiæ Cardinalem, humili genere Sarazanæ natum, Pontificem dixere, cui cum proprium Gentilitium deesset Scutum, ejus loco*

binas

*binas Claves decussatas ipse assumpsit ; Cœterum vir erat plane doctus, atque eruditus, fuitque Nicolaus Quintus.*

I II





III



# MANTUÆ.

Mantua priscis temporibus variis subjecta Principibus Thedaldo scilicet Comiti Canossano, Mathildî filiæ, Sordello Vicecomiti, & Bonacolsis, qui tribus & quinquaginta annis Urbi præfuere, tandem Anno MCCCXXVIII. in Aloysii Gonziaci, auctoritate, & gratia penès Cives plurimum pollentis, potestatem devenit, quo imperante primum hunc argenteum nummum, ex litteris juxta illius ævi modum in ipso conscriptis, cusum facio, qui præter Aquilam expansis alis in area excalptam, & litteras in gyro positas VIRGILIVS, ostendit etiam minutum hujusce Familiæ Gentilitium Scutum. Postica effulget Cruce has circumscriptas litteras intersecante DE MANTVA. I.

Prima secundi argentei nummi frons Virgilii celebris Mantuani Poetæ, in Andis Pago, qui nunc Petola dicitur, altero ab Urbe lapide Cn. Pompejo Magno, & M. Licinio Crasso primum Consulibus, nati, insignitur Vultu, ore instar cantantis composito, cum epigraphe VIRGILIVS. Totam adversæ partis aream occupat Crux affabrè efformata, & lemma DE MANTVA. Antiquitatem hujus nummi indicant litteræ, ad gothicam scribendi formam exaratæ, evinciturque ex Scutulo in gyro anterioris partis locato, sub Gonziaco imperio fuisse obsignatum; a quo porrò Principe non est facile divinare. II.

In

III. In area tertii argentei nummi ostenditur Aquila expansis alis cum epigraphe FR*anciscus* D*e* GONZAGA, & post litteras, hujus Familiæ Tessera. A tergo Crux, & in limbo minuta Virgilii Poetæ imago, litteris hinc inde dispositis V. I. nempe *Virgilius*, subsequentibus vocibus DE MANTVA. Franciscus sexdecim annos natus Ludovico Patri Anno MCCCLXXXII. in Mantuæ Vicariatu successit. Agnete Uxore Bernabovis Vicecomitis filia e vivis sublata, cum Margarita Malatesta muliere insigni Anno MCCCLXXXXIII. nuptias fecit; sequenti vero Anno dissidiis, ac simultatibus inter se, & Joannem Galeatium Mediolani Ducem coortis, hic valido conscripto exercitu, cui summo cum imperio Jacobus a Verme exploratæ virtutis Dux pręerat, in Agrum Mantuanum irrumpit. Franciscus ex adverso externis contractis auxiliis, una maxime Carolo Malatesta in armis celeberrimo, se ipsum acerrime tuebatur. Inter utrumq; exercitum variante secunda, adversaque fortuna ad Annum usq: MCCCCIIC. crebro pugnatum, quo induciis in decennium sancitis, pax firmata est; post pacem Franciscus Fanum, quod Beatæ Virgini (Gratiarum Virginem Incolæ vocant) in bello voverant, quinto ab Urbe lapide Anno MCCCIC. faciundum curavit. Dein a Venetis in Imperatorem electus, Veronam, & Patavium Carrariensibus pulsis, Veneto adjecit Imperio. Tot palmarum Princeps anno sui Regni quinto supra vigesimum eripitur.

IV. Quartum argenteum nummum ad eundem Franciscum spectare, indicant litteræ in ejus prima fronte conscriptæ, in qua visitur etiam exiguus Leo cauda bifurcata, Bohemiæ Regni stemma, Gonziacis a Carolo IV. Imperatore, ac Bohemiæ Rege concessum Anno MCCCLXVIII. ut Marius Equicola in Vita Guidonis perhibet hisce verbis. *A questi Gonzagi (se non erro) furono concesse le arme di Boemia da predecto Imperatore Carlo Re di Boemia, le quali sono un Lione bianco rampante in campo rossio sopra el capo una corona poco da quello distante, con un collaro d' oro al collo Massiccio; la coda è rivolta in su ver la testa, spartita nel mezzo in su in doi parti, che l' una interseca l' altra &c.* hoc est. *Hisce porro Gonzagis*, (ni fallor) *Bohemorum Regum Tessera a prædicto Imperatore concessa est, in cujus muricato valvulo exiliens observatur argenteus Leo, loro ad collum aureo, corona a capite non tam disita*

*reai-*

*redimitus, cujus revoluta cauda a medio usque sursum in binas partes inter se intersecatas divisa est*. Postica præfert hanc vocem MANTVA cum Scutulo in limbo complectente Insignia.

V. In prima quinti ærei nummi Fronte sculptus apparet Virgilii Poetæ Vultus, ore instar psalentis aperto, cum epigraphe V. D. MANTVA; hoc est *Virgilius de Mantua*. In altera facie ostenditur Gonzagiacæ Familiæ antiquum Scutum, quod sex fascias, seu Zonas, aureas tres, & tres furvas continebat, his in gyro litteris locatis I. F. D. GONZAGA, scilicet *Joannes Franciscus de Gonzaga*, qui duodecim annos natus post Francisci Patris mortem, sub Venetorum, ac Malatestarum tutela cępit dominari Anno MCCCCVII.

VI. Ad eundem Joannem Franciscum spectat sextus argenteus nummus, in cujus margine legitur IOHANES FRANCISCVS MARCHIO MANTVE. In medio visitur Aquila dimidia, hoc est extans pectore tenus super cristatum Cassidem cujusdam Scuti proni atque inclinati, in quo quaternæ aquilulæ circa crucem ad scapos extremos patulam observantur. Sigismundus Imperator ab Eugenio IV. anno post Christum natum MCCCCXXXII. decimo quinto Kalendas Junias Romæ coronatus, Germaniam repetens, Mantuam devenit; ibique a Joanne Francisco magna cum pompa, splendidoq; exceptus hospitio, eum in Foro Sancti Petri in Magnificentissimo Tribunali Mantuæ Marchionis titulo condecoravit, Anno Christi MCCCCXXXIII. Aquilis nigris in campo albo cum rubente Cruce pro stemmate concessis. Totum secundæ frontis medium a duabus Figuris stantibus, Pontificalibus vestibus indutis impletur, cum circumscriptis litteris S. ANSELMVS. S. CELESTRINV. Hic est Sanctus Celestinus, qui ex Eremo eductus, & ad Pontificiam Cathedram diu reluctans, evectus, post quintum Pontificatus mensem dignitate renuntiata, a Bonifacio VIII. Successore ad evitandum Schisma (ut ipse dictitabat) in Carcerem inclusus, biennio post ærumnis plenus in pace quievit; Alter est Sanctus Anselmus Lucæ Episcopus, qui Mantuæ vita sublatus, in Ecclesia majori collocatus, uti Patronus a Civibus summa veneratione colitur.

VII. Septimus argenteus nummus eodem Joanne Francisco imperante cusus est; ibi Gonziacæ Familiæ observantur Insignia,

gnia, additis in circuitu his vocibus IOHS FRACISC. MARCHIO MANTVE 3. ꝯ. hoc eſt *Joannes Franciſcus Marchio Mantuæ, & cętera*. In altera facie, præter ſacram Pixidem, viſitur cujuſdam ædificii Turriti typus, Arcis nempe, ut puto, ab eodem Marchione in Sancti Georgii Suburbio, uti Equicola perhibet, extructæ; limbus inſcribitur hoc lemmate MANTVA FVLSISTI PCIOSO SAGVINE X̄; ſcilicet: *Mantua fulſiſti pretioſo Sanguine Chriſti*.

VIII. In Octavi argentei nummi fronte apparet Gonzagicorum Stemma, epigraphe circumſcriptum LODOVICVS MARCHIO. A tergo Sacra Pixis in qua ſervantur tres guttæ Sanguinis, quæ, ut fertur, e latere Chriſti Domini effluxerunt cum lemmate XPI SANGVINIS TABERNACVLVM. Deceſſerat Anno MCCCCXLIV. Joannes Franciſcus, & in Mantuæ Marchionatu fuerat ex ejus teſtamento Ludovicus Filius, duos & triginti annos natus, ſubrogatus. Hic ſub ſui Regiminis exordium a Venetis Florentinis conſociatis ſtipendio conductus, in Philippum Mariam Mediolani Ducem egregia fama militavit, ac Caroli Fratris Copias ſibi infenſi ad Coitum profligavit. Mantuæ, Roma redeuntem Fridericum Imperatorem, ac Pium II. cum ſexdecim Cardinalibus ſolemni pompa excepit. Divi Andreę Templo, ac Arce ad Pradellam Portam inchoatis, ætatem complevit, & Principatum Anno MCCCCLXXVIII.

IX. Sub eodem Ludovico percuſſus eſt & alter ſubſequens argenteus nummus, in cujus area ejuſdem Principis apparent inſignia cum inſcriptione LODOVICVS MARCHIO MANTVE, ET CE*tera*. A tergo Sacra Pixis hiſce vocibus circumſepta. X. TVI TVTA HOSPITIO SIT SANGVINIS HOSPES.

X. In decimo æreo nummo repræſentatur Canis ſedentis imago cum epigraphe FRANC. MAR. MANT. IIII. nempe *Franciſcus Marchio Mantuæ Quartus*. A tergo Sacra Pixis, & inſcriptio SANGVIN XPI IXES, hoc eſt *Sanguinis Chriſti Jeſus*. Franciſcus duodeviginti annos natus poſt Friderici Patris mortem Anno MCCCCLXXXVI. Mantuæ iniit Principatum; in primo ſuæ juventutis flore venationibus deditus, Canes, Accipitreſq: in deliciis habuit, marmoreo nonnullis, teſte Equicola, funeratis ſepulcro; idcirco in nummo excalptum Canem, ſummopere a Principe adamatum cenſeo.

Un-

Undecimus argenteus nummus ejuſdem Franciſci pileatam exhibet faciem, his circumcinctam vocibus FRANCISCVS MAR. MANT. IIII. Poſtica Sacram Pixidem præfert cum epigraphe SANGVINIS XPI IHESV. XI.

Duodecimus argenteus nummus oſtendit ejuſdem Franciſci effigiem Equo inſidentem, cum inſcriptione in limbo FR MAR. MANT. IIII. VENE. CAPI. GE. nempe *Franciſcus Marchio Mantuæ Quartus Venetorum Capitaneus Generalis*. In adverſa Sacra Pixis, & lemma ut ſupra. Franciſcus bellicis rebus addictus, apud Italiæ Proceres multa exiſtimatione clarus, octo & viginti annos natus totius Veneti Exercitus Gubernator dictus, Carolo Francorum Regi, qui Regno Neapolitano occupato, ad totius Italiæ affectabat imperium, in Patriam redeunti ſe ſe objecit; pugnatum acriter in agro Parmenſi ad Tarum MCCCCVC. pridie nonas Quintilis ancipiti dubiaq: victoria, quo in prælio tam fortiter ſe Franciſcus geſſit, ut a Patribus eodem menſe Capitanei Generalis titulo meruerit condecorari, in cujus facti memoriam evulgatus nummus obſignatus eſt. XII.

Decimus tertius æreus nummulus præfert in medio Gentilitium Scutum, in cujus area ſex obſervantur tranſverſæ teniæ, antiquum Gonzagicæ Familiæ ſtemma cum epigraphe FR. MAR. MANT. IIII. In adverſo binas manus junctas cum lemmate IN ÆTERNVM. Pugna ad Tarum confecta, Francorum Rex Taurinum cum ſe recepiſſet, Franciſcus celerato itinere Novariam, arcta jam obſidione cinctam, quæ Gallo tuebatur præſidio, perrexit, quam citius bellicis fatigatam tormentis, ad ultimam anguſtiam redegit. Interea per Ludovicum Aurelianenſem Principem, qui intus erat, ad colloquium evocato Franciſco, ad decem prius dies induciis pactis, tandem pax inter Regem, & Mediolani Ducem firmata eſt, ut narrat Guicciard. in Hiſt. Ital. Lib. II. Poſt hæc in Galliam rediit Carolus, Mantuam gloria, ac laude plenus Franciſcus, in cujus Pacis memoriam ab ipſo percuſſum nummum autumo; manus enim junctæ pacem, fidemque publicam denotant, non ad tempus, ſed perpetuo ſervandas, uti per lemma in ÆTERNVM inauguratur. XIII.

In prima Decimi quarti argentei nummi fronte cernitur ejuſdem Franciſci Protome cum inſcriptione FRANCISCVS. XIV.

H MaR-

M*a*R*chio* M*a*NTVE IIII. A tergo fuſorium cernitur Vaſculum, quo utuntur Aurifices, flammis circumdatum, cum virgarum aurearum, aut argentearum faſciculo, ex eo prodeunte, cum lemmate. D*omine* PROBASTI ME, ET COGNOVISTI ME, ut legitur in initio Pſalmi 138. Franciſcus Gallis conſociatus cum in Venetos moviſſet, ab illorum armis interceptus anno MDIX. quinto Idus Sextilis, ac Venetias perductus, ob violatæ Fidei ſuſpicionem carceri demandatur; Ejus porro Cauſa in publico Patrum Conſilio actitata, uti inſons Senatus omnibus prope ſuffragiis ſequenti anno pridie Idus Quintilis liberatus eſt, quo tempore nummum ſignatum cenſeo.

XV. Ad eundem Franciſcum pertinet decimus quintus argenteus nummus, cujus nomen ex litteris quæ per gyrum primæ frontis obvolvuntur, ſatis dilucide apparet. Totam ſecundæ partis aream occupat ipſius Franciſci ſtemma, cum lemmate S. R. E. CONF. hoc eſt *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Confanonerius*. Nummum hunc a Franciſco Anno MDX. obſignatum facio, quo tempore a Julio II. Summo Pontifice Confanonerii dignitate honeſtatus eſt.

XVI. Decimus ſextus argenteus nummus Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum, vulgo ab Incolis nuncupatæ, Puerulum lactantis Jeſum inſignitur Imagine, in cujus honorem, ut diximus in tertio nummo, a Franciſco Mantuæ Vicario IV. anno MCCCIC. non ignobile Fanum erectum fuit. In poſtica fuſorium cernitur Vaſculum, uti in nummo XIV. hiſce vero circumſeptum vocibus FRANCISCVS MAR*chio* MAN*tuę* IIII.

XVII. Decimus ſeptimus argenteus nummus quinque Drachmis, & quatuor ſiliquis in pondere ęquipollens repræſentat Franciſci faciem cum inſcriptione FRANCISCVS MAR. MANTVE IIII. In poſtica viſitur ipſius Franciſci imago, dextera virgam geſtantis, ſiniſtram uni ex tribus figuris ante ſe ſtantibus porrigentis, cum circumducta epigraphe NON IGNARA MALIS MISERIS SVCVRERE DISCO.

XVIII. In Decimo octavo æreo, pauculo argento admixto nummo, ejuſdem Franciſci obſervatur Facies cum epigraphe FRANCISCVS M*a*R*chio* MANTVE IIII. Altera ex parte ſedentis mulieris effigies Pixidem ſacram dextera ſuſtinentis, cum litteris in circuitu SANGVINIS XPI IHESV, & inferius MANT.

XIX. Decimum nonum argenteum nummum Franciſcus extremis ſui

ſui Imperii diebus procul dubio cudere fecit ; in hujus enim prima fronte oſtenditur pileata, ac rugoſa ipſius Principis Facies, additis in circuitu his vocibus FRANCISCVS MAR*chio* MAN*tuæ* IIII. Alterius partis medium Sacra Pixis tegit, & in circuitu SANGVINIS XPI IHESV.

Tres ſubſequentes dumtaxat nummos, ad Fridericum Gonzagam pertinentes, ex argento conflatos, profero. Primus hic & in ordine vigeſimus ipſius Friderici, qui poſt Franciſci Patris mortem ANNO MDXIX. a Mantuanis Marchio ſalutatus, exceptuſque eſt, Vultum exhibet, cum inſcriptione FEDERICVS II. MAR*chio* MANTVE. A tergo Sacra Pixis ſuper Aram poſita, in qua conſcriptæ hæ voces conſpiciuntur. *Sanctus* ANDREAS, cum ſolita inſcriptione SANGVINIS XPI IHESV; inferius MAN*tuæ*. XX.

Vigeſimus primus nummus imaginem Friderici in area habet, circumſtat hæc epigraphe FEDERICVS II. MAR*chio* MANTVAE V. Poſtica ejuſdem Principis figuram Equo inſidentis præfert, cum hac inſcriptione S. R. E. CAP. GENE. nempe: *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Capitaneus Generalis*. Cum Romæ nuntiatum, Gallos celerato itinere Regium properaſſe, ac Alexandrum Triultium ſpectatæ virtutis Ducem, Urbem irrumpere nitentem, ab Eccleſiæ Præſidio repulſum, pilaque tormentaria ictum, paulo poſt interiiſſe; Facinus ulturus Leo Pontifex, fœdere cum Cęſare ſancito, ſibi deinde tutius nihil duxit, quam Fridericum Mantuæ Marchionem a Francorum Rege jam deſcitum, ſibi devincere. Hunc ergo maximo ad ſe accerſitum ſtipendio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Capitaneum Generalem, in Conciſtorio habito MDXXI. die prima Quintilis, creavit; quo in munere tam egregiam manu, & milite operam navavit, ut eodem anno Parma, & Placentia a Gallis occupatæ, in Pontificis poteſtatem redierint. XXI.

Vigeſimus ſecundus nummus Marchionis effigiem exhibet, cui circumſcribitur FEDERICVS Marchio MANTV*e* V. Sedentis Figuram Mulieris, Sacram Pixidem dextera ſuſtinentis, poſtica oſtendit, ſub antiqua epigraphe SAGVINIS XPI IESV, inferius MANT*uæ*. Nummos pluſquam viginti ſub hoc Principe diverſo typo percuſſos penes nos ſervari, ſcito, quos ne Lectori ſimus tędio, & ab inſtituto noſtro aberremus, libentius omiſimus. XXII.

I



II



III



IV



V



VI




VII



VIII



IX



X



XI




XII




XIII




XIV




XV





XVI




XVII




XVIII




XIX





XX




XXI

XXI XXII




## MASSÆ LOMBARDORUM.

I. PRimus aureus nummus exhibet Franciſci Eſtenſis faciem cum inſcriptione FRANCISCVS ESTENSIS. In adverſo ipſiuſmet Franciſci Stemma, lemmate circumſcriptum. DVX IN HOSTES PARITER ET CLYPEVS. Maſſa Lombardorum non ignobile agri Ferrarienſis Oppidum, in Franciſci Eſtenſis poteſtatem, ex Alphonſi Ferrariæ Ducis Patris Teſtamento, cujus verba lubet hic referre, Anno MDXXXIV. devenit = *Item per ogni miglior modo, che puole laſcia, e inſtituiſce Erede l' Illuſtriſſimo Sig. D. Franceſco ſuo terzogenito legitimo, e naturale nel Caſtello della Maſſa di Lombardi in Romagna, con ogni ſua juriſditione, e con il mero, e miſto Impero &c.* = hoc eſt = *Item omni meliori quo poteſt modo declarat, inſtituitque hæredem Illuſtriſſimum Dominum Donum Franciſcum Tertiogenitum legitimum, & naturalem in Maſſæ Lombardorum Oppido in Romandiola ſito, cum omni juriſdictione, ac mero, mixtoque Imperio.* Hic ex Lucretia Borgia legitima Alphonſi Uxore Anno MDXVI. procreatus, a prima adoleſcentia ſummo ad res bellicas ſtudio animum appellens, Caroli V. Imperatoris Caſtris adhærens, egregiam fortis, prudentiſque Viri famam, in Maſſiliæ oppugnatione adeptus eſt; qui cum eundem Imperatorem Niçeam prius Galliæ Narbonenſis Urbem, deinde in Hiſpanias deduxiſſet, Ferrariam revertitur. Anno porrò MDXXXVII. Neapolim egregio cum comitatu progreſſus, Mariam de Cardona lectiſſimam Fœminam, Padulæ Marchionatum, aliaſque Ditiones dotali jure in nuptias trahentem, ſibi deſponſavit. In Hiſpanias deinde repetens, in Gandenſes ab Imperatore deſcitos decertavit, ad oppugnandam Juliam Cęſaréam perrexit, ac in bello in Guillelmum Cliviæ Ducem ſuſcepto, levis Equitum armaturæ Præfecturam promeruit. In Lucemburgi aggreſ-

aggreſſione mille Equitibus Gallis deletis, Ligniacoque ad deditionem compulſo, ad obſidendam Duram ſe contulit, qui cum mille Equites gallos, quadringentoſque pedites, ſuppetias obſeſſis laturos, ab exploratoribus adventare didiciſſet, paratis inſidiis, in hoſtes, licèt viribus impar, irruptione facta, adeo fortiter ſe geſſit, ut iis devictis profligatiſque, inſigni victoria potiretur: parta Vexilla, Victoremque deoſculatus eſt Cęſar, quæ in Italiam delata Maſſæ appenſa ſunt. Ab his rebus geſtis jam plane clarus ab Imperatore Italicis Copiis præficitur, ac in Allobrogum Ducem proficiſci jubet, quo in prælio cum ſumma fide, felicique prudentia ſe geſsiſſet, in Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, dein in Haſſiæ Lantgravium immittitur. Carolo e vivis erepto, Franciſcus ad Francorum Regem tranſgreſſus, ab ipſo torque aureo donatus inter Sancti Michaelis Equites cooptatur, ipſoque efflagitante in agrum Hetruſcum, cum gallicis copiis deſcenſus, egregiam in tutando Monte Alcino operam navavit. Pacis tandem, quietiſque cupidus Ferrariam repetit, ibique Anno MDLXXVIII. die vigeſima tertia Februarii, duabus filiabus nothis, Marphiſa ſcilicet, & Bradamante, ſuperſtitibus, ex humanis eripitur; Corpus, ſicuti Teſtamento caverat, Maſſam Lombardorum delatum, in Eccleſia S. Pauli a ſe condita tumulatur; ubi a Hieronymo Sorboli Philoſophiæ, & Medicinæ Doctore celeberrimo, Oratione funebri fuit decoratus. Sub hoc ergo Principe expoſitus aureus nummus, nec non & ſequentes in Oppido Maſſæ Lombardorum, ab ipſo lateritiis muris circumſepto, proprie cuſi ſunt, uti ex ejus Codicillo evincitur, in quo hæc habentur = *Item hà laſciato, e laſcia per ragion di Legato, ac omni &c. alla Comunità di Maſſa ſua Giuriſdizione il Giardino, che è dentro la Terra ſuddetta, e li Boſchi delli quattro Quartieri della Campagna della Maſſa, qual Giardino, e Boſchi furono altre volte donati per detta Comunità a detto Signore Codicillante; ma quelli Caſamenti dove fù già fatta la Zecca della detta Terra, Caſamenti dell' Ortolano, Pellacaneria, Stalle, & altre coſe, che ſono d' eſſo Signore Illuſtriſſimo Codicillante vuole, che ſiano della ſua Erede Univerſale, cioè la Signora D. Marfiſa* = ideſt = *Item jure legati Maſſæ Communi tum Viridarium in interiori Loci parte ſervatum, cùm quatuor ipſius Territorii Regionum Sylvas, quæ omnia a dicta Communitate olim ipſe Dominus Codicillans do-*

*no*

*no acceperat, relinquit. Illas porro ædes in quibus Monetæ cudebantur, nec non Oliteris Domos, Coriariam, Equilia, aliaque de jure ipsius Codicillantis ad Dominam Marphysam hæredem ejus universalem spectare declaravit.* Hosce tamen nummos, licèt extra tempus a Muratorio intentum, obsignatos, proferre studui, ex eo quod ab eruditissimo Comite Joanne Raynaldo Carli, qui de Zecchis Italiæ scripsit, hæc Massæ Lombardorum fuerit prætermissa.

I




II




III




IV




V




VI




VII





VIII




IX




X




ME.

# MEDIOLANI.

IN primo aureo nummo oſtenditur Caſſis, cum Angue vorante puerum, litteris hinc inde diſpoſitis D. B. nempe *Dominus Bernabos*; per gyrum CIMERIVM DoMI*ni* BERNABOVIS VICE=COMITIS. Poſticam implent Aquilula, & integer Anguis, cum litteris ad latera D. B. ſcilicet *Dominus Bernabos*, litteris in circuitu poſitis MDLI ET. ꝯ. DNI GENERALIS; hoc eſt *Mediolani & cętera Domini Generalis*. Moriens Joannes Vicecomes Mediolani Princeps, ac Archiepiſcopus, Matthęo, Bernabovi, & Galeatio, ex Stephano Fratre procreatis, Principatum trifariam diviſum, ea porro conditione, ut Mediolanum, & Genua communis eſſent ditionis, reliquit. Matthæo biennio poſt ſublato, Fratres ſuperſtites mira concordia per annos viginti imperium moderarunt, poſt quos Galeatio functo, in Patris portionem Joannes Galeatius filius ſucceſſit. Cęterum Bernabos ſolus regnandi cupidus, Nepoti inſidias moliri cępit, quibus detectis, callidoq: ingenio ſimulatis, Patruum nihil tale verentem Nepos compręhendit, ac in Arcem Tritianam conjecit, quo in loco ſeptem poſt menſes anno ætatis ſuæ ſexto & quadrageſimo, Imperii vero trigeſimo, ærumnis plenus, ac ira, e vivis exceſſit. I.

Secundus argenteus nummus exhibet in medio Vicecomitum Iconem Teſſerariam, cum inſcriptione FILIP*us* MARIA DVX MEDIOLANI ET ꝯ. A tergo ſtat Sanctus Ambroſius in Sella ſedens, dextera Scuticam, ſiniſtra Paſtoralem virgam tenens, litteris in gyrum poſitis S. AMBROSIVS MEDIOLANI. Poſt Joannis Galeatii mortem (contigit hæc tertio nonas Septembris MCCCCII.) Joannes Maria, & Philippus Maria filii, ea conditione a Patre in Teſtamento præſcripta, ut ſcilicet major natu Joannes Mediolani Ducis nomen obtineret, alter Papiæ Comes appellaretur, Principatum ſuſcepere: verum novennio poſt, Fratre ob nimiam ſævitiem a Conjuratis cęſo, totius ſumma imperii ad Philippum Mariam advenit, qui clariſſimorum Ducum ope, ſui Regni Urbes a nonnullis Tyrannis occupatas, felicibus auſpiciis recuperavit, eoſq: aut occiſerit, aut exturbarit. Mortuus eſt anno MCCCCXLVII. idibus Sextilis, totius imperii Franciſco Sfortia militari diſciplina claro, cui filiam Blancam ex Agnete Mai- II.

na nobili concubina ſuſceptam, Cremona in Dotem conceſſa, collocarat, hærede ex teſtamento relicto.

III. Dimidiatum hunc profero Mediolani argenteum percuſſum nummum; cum enim in una ejus parte, præter Gentilitium Vicecomitum ſtemma hæ voces in gyro FRA....... RTIA VICECO; in altera præter Crucem DVX ME.... nitidis characteribus legantur, clare evincitur ad Franciſcum Sfortiam ſpectare, qui ex humili origine ob præclaras animi dotes, ac in rebus bellicis virtutem, a Philippo Maria Vicecomite in Generum cooptatus, ei emortuo in Principatu Anno Chriſti MCCCCL. ſubrogatus eſt.

IV. In area quarti argentei nummi oſtenditur Crux hiſce litteris in limbo ornata Gʒ. M. DVX MED. AC IANVE D. ET ꝯ. nempe *Galeatius Maria Dux Mediolani, ac Januæ Dominus & cętera*. In poſtica Anguis puerum vorans, cum litteris ad latera B. G. prima pro *Blanca*, altera pro *Galeatius* interpretatis, & epigraphe BLANCA M. DVCISA ME, hoc eſt *Blanca Maria Duciſſa Mediolani*. Hic eſt Galeatius Maria, qui duos & viginti annos natus, poſt Franciſci Patris mortem ſub Blancæ Mariæ Matris tutela Anno MCCCCLVI. cæpit dominari, cujus in initio imperii auctoritatem veritus, progrediente tempore a debita veneratione deflexit. Non ſine veneni ſuſpicione, & quidam Galeatii filii ſcelus ſuſpectavere, Cremonæ moritur Blanca Anno MCCCCLXVIII. decimo Kalendas Novembris, eximiæ herclè Religionis Mulier, quocirca evulgatus nummus hoc biennio cuſus eſt.

V. Ad eundem Galeatium quintum æreum pertinere nummum, indicant tum Siglæ G. M. hoc eſt *Galeatius Maria* in area ſub corona expreſſæ, cum litteræ in gyrum poſitæ Gʒ. M. DVX MLI V. quæ ſonant *Galeatius Maria Dux Mediolani Quintus*. Poſtica oſtendit Vicecomitum Caſſidem, hiſce vocibus circumcinctam AC IANVE *Dominus* ʒ. ꝯ. Galeatius cum Domi, foriſque ſuum confirmaſſet imperium, intemperantibus libidinibus, nobilioribus præcipuè Matronis totum ſe dedit, quocirca Populo exoſus in ipſum conſpiratur, ac in templo Divi Stephani Anno MCCCCLXXVI., ætatis vero XXXIII. confoditur, Andrea Lamponiano, Carolo Vicecomite, Hieronymo Olgiato, & Cola Montano conjurationis auctoribus.

Sextus

Sextus ex argento non puro conflatus nummus, in medio ostendit Avem flammis circumdatam, cum elevatis alis, Zonæ insidentem, in qua hæc verba exarata perpenduntur DABO CORDI. Cùm inscriptione GZ. M. SF. VICECOS. DVX MLI. V. nempe *Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani Quintus*. Tota adversæ partis area a Regia Corona, pendentibus hinc inde paliis, impletur, cum lemmate in limbo P. P. ANGLEQ. CO. AC IANVE D. idest *Papiæ*, *Anglerièque Comes*, *ac Januæ Dominus*. VI.

In prima septimi ærei nummi fronte demonstratur Regalis Corona, pendentibus hinc inde paliis, additis in circuitu his vocibus IO. GZ. M. SF. VI. DVX. MLI. SX. scilicet *Joannes Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani Sextus*. Alterius partis medium Crux tegit lateribus latioribus, cum epigraphe LV*dovico* PATRVO GVB*er*NANTE. Galeatio a Conjuratis cæso, Joannes Galeatius Filius quadriennis sub Ludovici Patrui tutela in Principatu successit. Cæterum Ludovicus regnandi cupidus, omni fidei Sanctitate contempta, Nepotem perditis moribus studuit callidè educare, ut cum ad perfectam pervenisset ætatem, dominatu indignus videretur. Hunc adultum jam factum in tantas angustias redegerat, ut Ducis tantummodo nomen retineret, Ditionis verò regimen, leges, & responsa, arma, pecuniæ, vitæ necisque potestas penes se haberentur; Tanta ergo Tyrannide pressus infelix Princeps, lenta prius febre tentatus, Anno MCCCCLXXXXIV. non sine veneni suspicione Papiæ occubuit. VII.

In area Octavi ærei nummi visuntur litteræ LV. cum corona superposita, quæ sonant *Ludovicus*, & in circuitu LV. M. SF. ANGLVS DVX MLI, nempe *Ludovicus Maria Sfortia Anglus Dux Mediolani*; Postica Cassidem præfert, cum Angue puerum vorante; additur epigraphe P. P. Q. CO. AC IANVE D; hoc est *Papiæque Comes*, *ac Januæ Dominus*. Post elatum Joannem Galeatium, Ludovicus, Francisco quinquennio nondum nato Regni hærede neglecto, quem Nepos ex Isabella Alphonsi utriusque Siciliæ Regis filia sustulerat, imperium sibi usurpavit; quod diu, Numinibus sic permittentibus, non retinuit, quinquennio enim post, ab Ludovici Aurelianensis Francorum Regis armis fatigatus, & Mediolano pulsus, exulare cogitur: verum sequenti anno, qui fuit Romano Jubilæo VIII.

ſacer, Mediolanenſes Joannis Jacobi Triultii Urbis Præfecti aſperitate exacerbati, cum Maurum revocaſſent, hic Ditionem quam facile amiſerat, tam cito recuperavit. Quod cum excepiſſet Rex, bello iterum apparatu majori inſtaurato, prævalentibuſque Gallicis armis, Novariæ ſe incluſit Maurus, e qua dum ementita veſte effugere parat, ab Helvetiis traditus, vendituſque Gallis, in Franciam perducitur, ac in Lovenſem Arcem coniicitur, quo in loco decimo poſt anno e vita exceſſit.

IX. Nonus ex ære, & argento conflatus nummus oſtendit Francorum Regum Stemma cum tribus Liliis, lemmate circumſcriptum LVDOVIC*us* D*ei* G*ratia* FRANCOR*um* REX. A tergo Crux, & in circuli ſummitate minuta Sancti Ambroſii Epiſcopi effigies, & epigraphe MEDIOLANI DVX ET Ꞓ. Carolo VIII. Francorum Rege Anno MCCCCIIC. repentina morte ſublato, ad Ludovicum Aurelianenſem Francicum Regnum devolvitur, qui de eiiciendo Ludovico Sfortia e Mediolanenſi Statu, quem ſibi debitum, ex Aviæ ſuæ Valentinæ hæreditate, dicebat, extemplo meditatus, cum Alexandro VI, ac Venetis inito fędere, gravi comparato exercitu in Italiam irrumpit. Interea Sfortia tantas hoſtis vires ferre haud poſſe ratus, cum trans alpes ad Cæſarem una cum Filiis, ac gazis opem imploraturus confugiſſet, Rex ſine vulnere Sfortiano Imperio potitus eſt, tenuitq: ad annum uſque duodecimum ſupra milleſimum quingenteſimum, quo Gallis paucorum menſium ſpatio tota Italia ejectis, Maximilianus Mauri filius Pontificiis, Venetiſq: armis fretus, in avitum Regnum reſtituitur. Idcirco hoc temporis intervallo evulgatus nummus, ſicuti & duo ſubſequentes, Mediolani cuſi ſunt.

X. Decimus ex argento ære immixto conflatus nummus ad eundem Ludovicum ſpectat; exhibet hic L. coronatum, monogramma ſcilicet Regis, & in margine LVDOVI*cus* D*ei* *Gratia* FRANCOR*um* REX. Tota adverſæ partis area a Serpente puerum vorante occupatur, cum litteris in circuitu MEDIOLANI DVX ET Ꞓ.

XI. In medio undecimi ærei nummi tria Lilia obſervantur, hiſce vocibus circumſepta LV*dovicus* D*ei* G*ratia* FRANCOR*um* REX. Poſtica Cruce inſignitur, cum epigraphe MEDIOLANI DVX ET Ꞓ.

Tota


Tota primæ frontis duodecimi ærei nummi area a magna F. cum corona ſuperimpoſita impletur ; limbus inſcribitur his vocibus FR. D. G. FRANCOR*um* REX . nempe *Franciſcus Dei Gratia Francorum Rex*. Alterius partis medium Crux tegit, cum litteris circumpoſitis MEDIOLANI DVX ET Æ. Franciſcus e Valleſiorum gente in quingenteſimi decimi quarti ſupra milleſimum Anni exordio inito poſt Ludovici XII. mortem jure Regiæ propinquitatis Principatu, nihil prius, potiuſve habuit, quam bellum, adverſus Maximilianum Sfortiam Inſubribus incumbentem, ſuſcipere. Ingenti ergo inſtructo Exercitu, per loca antea humanis veſtigiis intacta in Italiam deſcendit, & ad Melignanum agri Mediolanenſis Vicum juxta amnem Lambrum ſigna conſtituit, confertaque cum Helvetiis pugna, eos tam maxima cæde delevit, ut ſupra quindecim millia ex hiſce fuerint deſiderati. Rex reportata Victoria, Sfortiam in Mediolanenſem Arcem compulſum obſedit, eumq: ad deditionem coegit, hiſce compoſitis conditionibus, ut Helveticis præſidiis, cum omnibus fortunis migrare, liceret, Sfortiaq: reliquum vitæ curſum in Gallia exigeret, cui Rex in Vitæ ſplendorem trigintaquinque Scutorum aureorum millia in ſingulos annos perſolveret. Poſt hæc Franciſcus Mediolanum ingreſſus ſolemni pompa excipitur, quo tempore in Regis obſequium expoſitus hic nummus cuſus eſt. XII.

In decimi tertii ærei nummi area viſuntur tres Monticuli, cum floribus inſurgentibus, & in limbo FRAN*ciſcus* SECVNDVS. In adverſo Corona paliis hinc inde pendentibus, cum litteris in circuitu DVX MEDIOLANI. XIII.

Decimus quartus æreus nummus ad eundem Franciſcum pertinens, effulget Cruce litteris circumſepta FRANC SECVNDVS; In oppoſitæ partis medio F. II. cum Corona ſuperimpoſita, nempe *Franciſeus Secundus*, & in margine DVX MEDIOLANI. Franciſcus Sfortia Ludovici filius, & Maximiliani frater, a Leonis X. Cęſariſq. armis in paterni imperii poſſeſſionem Anno MDXXI. immiſſus eſt, qui biennio poſt a Franciſci Galliarum Regis armis defatigatus, ubi Francorum vim minime ſe diu laturum agnoſceret, Urbe relicta, ſe ſe periculo ſubduxit: poſt varios deinde caſus in Patriam reverſus, a Cęſaréis Anno MDXXVII. iterum obſeſſus, nonnullis conſtitutis pactionibus, Arcis, & Principatus ceſſionem fecit. XIV.

cit. Quod cum Clemens VII., Veneti, ipſique Galli ægre paterentur, ut Sfortia paterno Imperio reſtitueretur, a Cæſare precibus impetrarunt. Franciſcus ergo grandi pecuniæ vi Caroli amicitia coëmpta, & Chriſtiana Daniæ Regis, & Eliſabethæ Caroli Sororis filia matrimonio ſibi copulata in Principatum reſtituitur. Verum quinquennio poſt ſummo Populi, & Uxoris mœrore e mortalibus, nulla poſt ſe relicta Prole, rapitur, & ſic Sfortium nomen, quod tam clarum unius Sæculi ſpatio in Italia refulſit, extinctum eſt.


I




II




III




IV




V




VI



VII




VIII




IX


IX



X



XI




XII




XIII




XIV




## MIRANDULÆ.

AD Joannem Francifcum illius Joannis Patrem, qui ob erectæ mentis indolem, ac divinum ferè ingenium Fęnix vocitabatur, fpectat hic primus æreus nummus, in cujus anteriori fronte vifitur ejufdem Principis Protome cum infcriptione IO. FR. P. MIRAN. D. nempe *Joannes Francifcus Picus Mirandulæ Dominus*. Tota adverfa pars ab hoc lemmate impletur in laurea Corona confcripto OMNINO. I.

Secundus æreus nummus exhibet in medio Joannis Francifci Pici Imaginem cum epigraphe IO. FR. PICVS MIRANDVLE *Dominus*. In poftica repræfentatur Liber cum fignatis in eo litteris OMNINO; ad Libri latera C. I. A. inferius Aquilula biceps, fubfequentibus vocibus CONCORDIAE COMES. Hic eft Joannes Francifcus Philofophus infignis ex Galeotto primo natus, qui a Ludovico, & Friderico fratribus Principatu deturbatus, ad Julium II. Pontificem opem imploraturus confugit: Idcirco Pontifex, ad obfidendam Mirandulam, quæ Gallo fulciebatur præfidio, immiffis turmis, cum lentum ob hyemis fævitiem in fuo munere militem cognofceret, in Caftra perexit, ibique Ducem, II.

ipfe-

ipsemet agens, vigesima Januarii die MDXI. Urbem tormentis jam fatigatam cępit deditione, & Joanni Francisco restituit.

III. Ad eundem Joannem Franciscum pertinet tertius argenteus Nummus, in cujus prima fronte ostenditur Liber, cum litteris in eo exaratis OMNINO B. K. A. Ad Libri latera C. I A. inferius aquilula biceps cum epigraphe in gyro IO. FR. PICVS MIRANDVLE D. CO. C., nempe *Joannes Franciscus Picus Mirandulæ Dominus Concordiæ Comes*. Postica præfert Christum in Astra ascendentem, & Discipulos in Cœlum aspicientes, inferius ILLVC. Joannes Franciscus in Principatum restitutus, ad annum usque MDXXXIII., celeberrimi Ludovici Areosti Poetæ Ferrariensis fato memorandum, regnavit, quo Galeottus Nepos Ludovici filius Siccariorum collecto manipulo, altissimo noctis silentio Mirandulam venit, superatisq:, nemine resistente, muris, in Jo: Francisci cubiculum suspenso pede irrepens, ac subita vi discussis valvis, Patruum, ejusq: filium trucidavit.




## MONTISFERRATI MARCHIONES.

AD Gulielmum Montisferrati Marchionem attinet æreus hic nummus, in cujus antica visitur Marchionum Gentilitium Scutum, cum litteris in margine GV. MAR. MONTF. qui ut opinor Montisferrati Marchæ dominabatur, Anno ab Orbe redempto MCCCCLX. In postica Crux cum lemmate SVB TVVM PRESIDIVM.

MU-



# MUTINÆ.

PRimus æreus pauculo argento mixtus nummulus, oſtendit in gyro hanc vocem FEDERIC, & in area has litteras in formam Crucis diſpoſitas I. P. R. T. quæ ſonant *Imperator*. In adverſa parte D. MVTIN. in medio A., cujus ſuperior, & inferior pars non ſecus ac latera a quatuor circulis circumdantur; nempe *De Mutina*. Ad Fridericum Secundum ſpectat nummus, a quo, Mutinenſibus jus cudendi Monetas, conceſſum eſt Anno MCCXXVI. I.

In ſecundo argenteo nummo exhibetur Herculis Mutinæ Ducis II. Protome, cum inſcriptione HERCVLES DVX INVICTISS*imus*. In poſtica fabuloſi Herculis Leonem dilaniantis effigies, cum lemmate DEVS FORT*itudo* MEA, ut legitur in Pſalmo 52, inferius Urbis Teſſera cum litteris C. M. hinc inde diſpoſitis, quæ meo videri hæc ſonant *Communitas Mutinæ*, ſeu *Mutinenſis*. Urbs hæc ſub Ateſtinæ Gentis Imperio Sæculo tertiodecimo eſſe cæpit. Horum primus Opizo II. fuit, qui communi totius Populi, Præſuliſque conſenſu Anno MCCLXXXVIII. in Dominum Generalem delectus eſt. Verùm Mutinenſes ab Eſtenſibus deſciti Anno MCCCVI, variis deinde Dominis, Bonacolſis ſcilicet Mantuæ Tyrannis, Bavaro, ac Bohemiæ Regi ad Annum uſq. MCCCXXXVI. paruere, quo Opizo III. Vir bellica laude inſignis, motis, quæ ſuæ erant ditionis recuperaturus, armis, Mutinam acceſſit, nec multis inde diebus Guidonis, ac Manfredi de Piis ope, qui Bohemiæ Regis nomine Vicariorum titulo Urbi preerant, Civitas in ejus poteſtatem devenit, quievitque ſub horum Principum patrocinio ad annum MDX., quo a Julio II. Pontifice occupata, poſt decem, & ſeptem annos ab Alphonſo Duce recuperata eſt. II.

Ad eundem Herculem ſpectat etiam tertius argenteus nummulus, duodecim granorum pondus non excedens, in quo Ada- III.


mans, Herculis ſymbolum, & hæ litteræ exaratæ perpenduntur P. MVTINENSIS, nempe meo judicio P*opulus* M*utinenſis*, a quo in Principis obſequium hic nummus cuſus eſt.

IV. Quartus argenteus nummus Alphonſi, annis provecti, Mutinæ Ducis tertii effigiem præfert, cum inſcriptione circumducta ALFONSVS DVX FERRARIAE III. Poſtica Sanctum Geminianum Mutinæ Epiſcopum, ac Protectorem in Sella locatum oſtendit, elevata dextera ad benedictionem impertiendam, leva Pedum ſuſtinentem, cum epigraphe S. GEMINIANVS MVTINENSIS PONT*ifex*. Nummum hunc poſt annum MDXXVII. percuſſum facio; cum enim Mutinenſis Ditio a Julio II., ut diximus in ſecundo nummo, Anno MDX. fuerit invaſa, ſub Cæſarea, Pontificiaq; poteſtate ad annum MDXXVII. ſtetit, quo Roma a Caroli V. armis occupata, cum Pontifex ipſe Clemens VII. in Adriana Arce obſeſsus detineretur; Alphonſus Ferrariæ Dux haud cunctandum ratus, ſubitario inſtructo exercitu, Mutinam adortus eſt, miſſoque Tubicine, qui percunctaretur, deditionem, ne facere, an belli fortunam experiri vellent, Pontificii Præfecti auxilii ſpe penitus dejecti, cum ſe ad reſiſtendum impares viribus agnoſcerent, Urbe relicta, Bononiam verſus cum Præſidio, ac quatuordecim bellicis majoribus Tormentis proceſſere. Alphonſus ovans Urbem ingreſſus, a plaudente Populo excipitur, & ſic Mutina ad antiquos ſuos Dominos rediit, a quo tempore in hodiernum uſque diem perſeverat.


V. Quintus ęreus nummus ob Divi Geminiani Epiſcopi effulget faciē. A tergo Urbis Stemma cum inſcriptione INSIGNIA MVTINE.

VI. In ſexto æreo argento mixto nummo repræſentatur ejuſdem Sancti Geminiani in faldiſtorio ſedentis effigies, elevata dextera in actu benedicendi; ſiniſtra virgam paſtoralem geſtantis, & epigraphe S. GEMINIANVS. A tergo Urbis Teſſera, cum lemmate MVTINENSIS. Quo autem tempore poſtremi iſti duo nummi fuerint ſignati, non eſt facile coniicere.

I





II




III

III





IV




V




VI




# NEAPOLIS, ET SICILIÆ.

IN anteriori primi ærei rudis planè, ac informis nummi parte oſtenditur Principis effigies, Equo inſidentis, dextera gladium geſtantis, cum inſcriptione W. DVX APVL; nempe *Willelmus Dux Apuliæ*. In adverſa Sancti Petri imago, Crucem ambabus manibus ſuper pectus ſuſtinentis, litteris in gyro poſitis SCATV PETRVS; hoc eſt *Sanctus Petrus*. Robertus *Wiſcardus* cognomento dictus, Apulia, & Calabria ſibi adſcitis, a Summo Pontifice Nicolao II. Anno MLIX. Ducis titulo, cum antea Comes nuncuparetur, inſignitus eſt; Roberto ortus Rogerius cognomento *Burſa*, Rogerio Willelmus in Apuliæ poſt mortem Patris Principatu Succeſſor, in quo a Paſchale II, Gelaſio II, & Caliſto II. confirmatur. Verùm poſt ſexdecim Regni annos a Rogerio conſobrino ſuo dejectus, ad Salernitanum Principem affinem ſuum confugit, ibique improlis deceſſit. Sub hoc ergo Willelmo fuit evulgatus nummus obſignatus, & ex Sancti Petri effigie in eo appoſita, Apoſtolicæ Sedis Imperium in hancce Provinciam evincitur, a qua Principes confirmationem reportabant, eique annuum Cenſum, hoc eſt, pro unoquoque jugo Bovum duodecim denarios Papienſis Monetæ perſolvebant. I.

Secundus æreus nummus, ævi diuturnitate non parum in margine corroſus, Crucem præfert, & has litteras W. RE. I. X. NI, quæ ſic interpretantur *Willelmus Rex Jeſus Chriſtus Nika*, II.

*ka*, nempe *Jesus Christus vincit* seu *victor*. Totam adversæ partis aream implet Ovis limbo redimita, Cruciculam dextero anteriori pede sustinens, absque ulla inscriptione. Rogerius alterius Rogerii filius cum totam Siciliam prius, ac Calabriæ partem successionis jure, postmodum vero Willelmi consanguinei sui, uti diximus in superiori nummo, Principatum sibi ademisset, Regem se maluit dici, quam Ducem, quo in titulo cum male ab Anacleto Antipapa fuisset confirmatus, tandem ab Innocentio II. legitimo Pontifice, Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Calabriæ, ac Princeps Capuæ, hisce ei, & hæredibus Provinciis sub annuo Sexcentorum Schifatorum censu in feudum concessis, appellatus est. Rogerio sublato, Willelmus filius cognomento *Malus*, eo quod nequitiis summis irretitus, ac avaritiæ labe notatus fuerit, cæpit moderari, qui cum e Sicilia in Italiam descendisset, & nonnulla Pontificiæ subjecta ditioni Oppida in agro Romano occupasset, ab Adriano IV. Anathematis telis sauciatus est, quibus spretis, Pontificem Beneventi cum Cardinalibus degentem, tam arcte obsedit, ut eum pro sua libertate ad iniqua pacta coegerit, quæ postea sub Innocentio III. honestioribus conditionibus interpositis, abolita sunt. Decessit Willelmus Anno MCLXVI. sub cujus imperio nummum percussum facio, eo quod alter nummus eodem lemmate IC. XC. NIKA a Muratorio, & Vergara evulgatus sub num. III. a Paruta, qui de utriusq: Siciliæ Monetis graphice scripsit, huic Willelmo adscribitur.

III. In tertii ærei argento admixti nummi area demonstrantur hæ duæ litteræ F. R., & in gyro ROM. IMPR. SEP. AV. nempe *Fridericus Romanorum Imperator Semper Augustus*. In adversa visitur Crux his vocibus circumsepta, R. IERS℞. ET SICI℞. hoc est *Rex Hierusalem, & Siciliæ*. Henricus Œnobarbi filius, pulso Tancredo Rogerii Calabriæ Ducis ex minus justis nuptiis filio, cui, Guillelmus II. sine prole decedens, Principatum reliquerat, Siciliæ Regnum Uxorio nomine sibi vindicavit. Duxerat ille Constantiam ex Rogerio Siciliæ Rege natam Regni hæredem, ex qua Fridericus II. ortus est. Hunc Mater septimum, & trigesimum circiter annum agens, & non quintum, & quinquagesimum, ut nonnulli, quos refellit Baronius Tom. XIII. fol. 593, scripsere, ex Germania Romam contendens, in Civitate Esitana vulgò *Jesi* peperit. Patre emortuo

tuo Anno 1197., Fridericus ſub Matris tutela quatuor tantummodo Annos natus, Siciliæ in Regno ſucceſſit, & anno circiter MCCXII. Imperator dictus, ab Honorio III. Anno MCCXX. aurea Corona inſignitus eſt. Conſtantia Alphonſi Aragonum Regis Filia prima ejus Uxore e mortalibus rapta Anno MCCXXII., Jolen Joannis Brennæ Hieroſolymitani Regis unicam filiam ſequenti Anno ſibi deſponſavit, a qua dotis nomine titulum Regis Hieruſalem ſortitus eſt, quem deinceps Siciliæ Reges tenuere. Idcircò cum evulgatus nummus hoc titulo ornatus ſit, a Friderico poſt annum MCCXXIII. fuiſſe obſignatum, judicandum eſt.

Ad eundem Fridericum pertinet etiam quartus hic æreus nummus, in cujus area exhibetur F. R. in ambitu ROM. IMPERATOR; ſcilicet *Fridericus Romanorum Imperator*. A tergo Crux nodo circumcincta, & in limbo R. IERSÆ ET SICIÆ., ideſt *Rex Hieruſalem, & Siciliæ*. IV.

Quintus æreus nummus præſtat in area Crucem cum epigraphe CONRADVS. A tergo ℟. & lemma IER. ET SICIÆ: nempe *Rex Jeruſalem, & Siciliæ*. Poſt elatum Fridericum, Conradus Filius, quatuor, & viginti annos natus, ex Patris teſtamento in Siciliæ Regnum ſufficitur. Ceterum reluctante Innocentio IV. Pontifice, a quo Anno MCCXLV. Fridericus Pater fuerat in Lugdonenſi Concilio exauctoratus; Conradus, qui per id tempus in Germania morabatur, totis viribus in Italiam irrumpit, cumque Neapolim, aliaſq: Urbes, quæ ſub Eccleſiæ poteſtate tenebantur, occupaſſet, ſibi Siciliæ Regnum firmavit, quod diù non retinuit; eodem enim Anno a Manfredo fratre, quem Fridericus ex Concubina ſuſceperat, veneno ſublatus eſt. V.

Sextus aureus rariſſimus nummus, quatuor ſiliquis aureum Ducatum Venetum vulgo *Zecchino* in pondere excedens, Scutum præfert, in quo Crux cum quatuor Cruciculis ad ejus latera diſpoſitis Hieroſolymitani Regni Inſignia, & Lilia Regalis Francicæ Familiæ Icon Teſſeraria exhibentur, litteris in gyrum poſitis, KAROL*us* DEI GRA*tia* IER*uſa*LEM SICILI REX. Poſtica Gabrielem Archangelum ad Mariam Virginem Nuntium, cum lemmate AVE GRACIA PLENA DOMINVS TECVM. Urbanus IV. cum contra Manfredi Friderici Secundi ex contubernio filii, qui Neapolitano Regno occupato VI.

Pice-

Picenum invaſerat, Tyrannidem, ſe tueri poſſe diffideret; Carolum Andegavenſem Comitem, Sancti Ludovici IX. Galliæ Regis fratrem, in ipſum utriuſq: Siciliæ Regnum tranſlaturus, in Italiam accivit. Romam una cum Beatrice Uxore Anno MCCLXV. Carolus perventus, a Populo Senatoris munere condecoratus, in utriuſq: Siciliæ Regnum a Clemente IV, qui Urbano nuper vita functo in Pontificatu ſucceſſerat, renunciatus eſt. Poſt hæc in Manfredum profectus, ad Beneventum cum hoſte ſigna contulit, conſertaq: pugna, re ancipiti diu Marte magno vulnerum, & mortis contemptu acriter utrinque geſta, ad extremum, cæſo Manfredo, victoria penes Carolum ſtetit, qui Beneventum ingreſſus, regio honore, fauſtiſque populi acclamationibus exceptus eſt. Nummum ad hunc Carolum ſpectare, ex eo evincitur, quod Filius ejuſdem nominis in Regno ſuffectus, ſe ſemper in a ſe obſignatis Monetis *Carolus Secundus* inſcripſerit. Hunc poſt annum undecimum Imperii Caroli cuſum facio; cum enim Maria filia Meliſinæ ex Iſabella Baldovini Sorore natæ, ſuum in Hieroſolymitani Regnum jus Anno MCCCLXXVII. ei ceſſiſſet, hoc tempore ſuis hujuſce Regni inſignia cæpit adjungere. Ex Virgine porro ab Archangelo ſalutata in nummo excalpta, ſumma Principis in Deiparam devotio eruitur, in cujus honorem perauguſtum Templum eo in loco, in quo victoriam de Corradino reportavit, ſub titulo B. M. Virginis erexit; Carolus, cum undeviginti regnaſſet annos, deceſſit.

VII. Septimus æreus pauculo argento mixtus nummus repræſentat Jacobi Siciliæ Regis faciem, corona redimitam, cum inſcriptione IAC*obus* DEI GRA*tia*. Poſtica inſignitur Cruce cum epigraphe REX SICILIE. Siculi, quum Gallorum tyrannides, ac libidines, quæ in dies augebantur, amplius concoquere non poſſent, in ipſos, Joanne Procida Auctore, conſpirarunt; conſtitutoque pulſationis Campanarum tempore ad preces veſpertinas ipſo die Paſchatis, qui fuit trigeſimus Martii Anno MCCLXXXII. in Gallos incautos, ac nihil paventes irruere, ac uno, ut ita dicam, puncto temporis, octo, & amplius millia, nullo ætatis, aut ſexus diſcrimine trucidarunt, tantoque ultionis æſtu, ut fœminæ etiam Siculæ e Francis prægnantes neci darentur, ne quid Gallicæ ſtirpis in Inſula remaneret. Poſt hæc Petrus Aragonius Siciliæ Rex ſalutatus,

die

die penultima Augusti ejusdem Anni summa Populi lætitia, Panormum Regni Metropolim ingressus, Jacobum filium sequenti Anno Siciliæ hæredem declaravit, qua in dignitate triennio post ex Patris testamento confirmatus, in Æde Panormitana Anno MCCLXXXVI. secundo Februarii die, Regia Corona decoratus est, quo tempore Siculi in Principis cultum expositum nummum obsignare fecerunt.

Octavus argenteus nummus ostendit in area Aquilam expansis alis, & in ambitu. I. DEI GRACIA REX: nempe *Jacobus Dei Gratia Rex*. In adverso Gentilitium Aragonensis Familiæ Scutum cum hisce circumpositis vocibus ARAGON*um* SICILIE. Petrus Aragonum Rex morti proximus, Alphonsum majorem natu Filium hac lege in Aragonum Regnum instituit, ut si sine filiis decederet, in Regno secundo genitus Jacobus succederet; florenti ille ætate absque liberis obiit decimo quarto Kalendas Julii MCCLXXXXI., quo tempore, & Aragoniam Jacobus sortitus est, qui pacis, quietisque cupidus, pactis cum Carolo II. Neapolis Rege conditionibus, sibique Blanca ejus Filia desponsata, titulum Siciliæ deposuit. Idcircò hac temporis intermissione, ab obitu nempe Fratris, ad Regni usque cessionem, exhibitus nummus percussus est. VIII.

In area noni argentei nummi ostenditur Aquila expansis alis, circum vero legitur MARTIN*us* D*ei* GRA*tia* REX SICIL*ie*. A tergo Gentilitium Scutum lemmate circumseptum AC ATHENAR*um* NEOPA*triæ* DVX. Martinus Exerciæ Comes alterius Martini Montis Albi Ducis Filius, jure Uxoris Anno MCCCLXXXXI. Siciliæ Regnum sibi ademit. Nupserat ille Mariæ Friderici III. cognomento *Simplicis*, eo quod publice hebes diceretur, Siciliæ Regis filiæ, qui primùm post annum MCCCLV. Athenarum, & Neopatriæ Dux fuerat declaratus. Martinus itaque cum Uxore, ac Patre Anno MCCCLXXXXII. Panormum ingressus, in Æde majori coronatur, qui cum duodeviginti regnasset annos, nulla relicta prole, naturæ concessit, sub quo Principe hic nummus signatus est. IX.

Decimus æreus nummus ad Fridericum Alphonsi II. Fratrem spectat; exhibet hic ejusdem Principis coronatum caput, cum epigraphe FEDERICVS REX. A tergo Equus sine fræno cum litteris EQVITAS REGNI; inferius L. duobus X.

bus

bus aſteriſcis hinc inde diſpoſitis. Cum Ferdinandus, ſeu Ferrandus II. Anno MCCCCXCVI. obiiſſet, Fridericus Patruus in Neapolitano Regno ſucceſſit, qui nimium confiſus Ludovico Francorum Regi, odium captavit Catholici. Horum porro conſpiratione poſt quintum Imperii annum Regno exuitur, & in Gallia exulare cogitur, ibique Anno MDIII. contabuit.

I




II




III




IV




V




VI




VII



VIII




IX




X




PAR-


# PARMÆ.

PRimus æreus nummus præfert in medio Sancti Joannis vultum cum epigraphe S. IOANNES. A tergo Crux, & lemma PARMA ECC℔IAE RO. ſcilicet *Parma Eccleſiæ Romanæ*. Ludovico Sfortia Mediolani Duce ab armis Ludovici XII. Galliarum Regis e Principatu pulſo Anno MCCCCIC. Parma, & Placentia, quæ antea ſub Sfortiarum tenebantur dominio, in Regis poteſtatem devenére. At Julius Pontifex, cujus Copias ad Ravennam Galli deleverant, tantæ Cladis vindictam ſumpturus, Helvetios, ac Venetos in auxilium accitos in Gallos immiſit, qui tantis viribus impares, Italia relicta, ad Patrios lares rediere; quibus peractis, cum Maximilianus Sfortia Paternum recuperaſſet Imperium (hic enim cum Julio, ſi avito reſtitueretur regno pro certa in Militum ſtipendiis, jam a Pontifice diſtractæ pecuniæ quantitate, ſe Parmam, & Placentiam Eccleſiæ ceſſurum convenerat) Eccleſiæ nomine Parmam, & Placentiam recepit Pontifex Anno MDXII., cui Cives fidem, ac Succeſſoribus jurarunt. Hoc autem tempore evulgatum nummum Parmæ percuſſum cenſeo. I.

Hæc vox PARMA, & binæ Claves decuſſatæ occupant ſecundi ærei nummi frontem. In adverſo oſtenditur Sancti Hilarii Epiſcopi Urbis Patroni effigies, dextera benedicentis, ſiniſtra lituum ſuſtinentis cum epigraphe S. HILARIVS. Hæc pene omnia obſervantur etiam in tertio æreo nummo, licet diverſo typo percuſſo. II. III.

Quartus æreus nummus Sancti Hilarii exhibet Protomen, litteris circumſcriptis SANCTVS ILARIVS, inferius binæ Claves decuſſatæ. Alterius faciei aream alatæ figuræ occupat imago, dextera lauream Coronam, ſiniſtra palmam geſtantis, cum lemmate CIVES SERVATI; in circuli ſummitate indicatur tempus, quo fuit hic nummus obſignatus, Anno ſcilicet MDXXII. Franciſcus Galliarum Rex cum Anno MDXV. in Italiam valido cum exercitu deſcendiſſet, fuſis, fugatiſque ingenti prælio ad Melenianum Helvetiis, ac Maximiliano Sfortia Inſubrium Duce e Principatu deturbato, Parmam, & Placentiam Leoni Pontifici repugnare non audenti, ademit. Cęterum quinquennio poſt Leo cum Carolo V. aliiſque Principibus percuſſo fœdere, in Gallos movit, quibus profligatis, IV.


totoque Mediolanensi Ducatu ejectis, Parma, & Placentia in exitu Anni MDXXI. in Pontificis potestatem rediere; ac sequenti Anno in Adriani VI. obsequium (Leo enim ex nimia de hostium e Mediolano expulsione concepta lætitia obierat) expositum nummum percussere; quo tempore evulgatum pa-
V. riter sub num. V. æreum argento mixtum nummum cusum facio, in cujus antica ostenditur sedentis Militis imago, dextera Victoriolam sustinentis, cum hisce circumpositis vocibus PARMA ECCLESIE. A tergo Claves cancellatim dispositæ, & colligatæ, quibus imminet Tiara Pontificia, triplici Corona, ac teniis pendentibus, ornata, cum inscriptione CIVES SERVATI.




## P A T A V I I.

Conspiciendum se præbet absque ulla inscriptione æreus nummus sub Carrariensium imperio percussus, in quo præter Crucem, observatur Currus quatuor instructus rotis, gentilitium Carrariensium Scutum, qui Urbis dominium ab Anno MCCCXXVIII. ad Annum usque MCCCCVI. tenuere,

re, quo, Francifco Septimo Patavii Regulo, juftas ob caufas Venetiis in carcere laqueo fuffocatus, ad Venetos, in quorum etiamnum poteftate tranquille perfeverat, devenit. Sabell. Hift. Ven. Dec. II. Lib. VIII.




# PERUSIÆ.

PRimus argenteus nummus oftendit in medio P. affabre defignatum, addita infcriptione DE PERVSIA; in poftica Crucem, & epigraphen S. ERCVLANVS. I.

Secundus æreus nummus demonftrat in area P. lemmate circumfcriptum DE PERVSIA. Poftica præfert Crucem has litteras interfecantem. S. ERCVLANVS. II.

Ob Sancti Herculani excalptam faciem eminet tertius argenteus nummus, in cujus limbo legitur S. ERCVLANVS. A tergo, in margine DE PERVSI, in medio A. quatuor rofis circumdata. III.

Tota quarti argentei nummi anterior pars ab his vocibus impletur AVGVSTA PERVSIA. Poftica infignitur Cruce cum infcriptione S. HERCVLANVS. Perufia antiquiffima Italiæ Urbs, ab Augufto Cęfare inftaurata, Augufta Perufia appellata eft, ftetitque fub Romanorum Imperio ad Totilam ufque Gothorum Regem, qui Urbem feptennio prius obfeffam, captam dein, diripuit, ac flammis dedit, in qua direptione Divus Herculanus Urbis Epifcopus magna cum Civium copia enecatus eft, martyrio a Divo Gregorio in Dialogis Lib. III. Cap. XIII. defcripto. IV.

Quintus æreus nummus exhibet in medio binas Claves decuffatas, defuper Tiaram Pontificiam triplici Corona exornatam, inferius has litteras PERVSIA. Totam fecundę frontis aream occupat Leonis gradientis imago, unguibus globum tenentis abfque ulla infcriptione. Perufia a Totila Gothorum V.

Rege, ut diximus in ſuperiori nummo, direpta, & poſt direptionem ab Incolis paulatim aucta, & in priſtinam formam redacta, Ludovici Pii Caroli filii munificentia, ſub Eccleſiæ poteſtate eſſe cæpit, quæ ſæpius a Civibus Piccininis ſcilicet, Oddis, ac Ballionibus tyrannice occupata, varias calamitates, & cędes perpeſſa eſt, & a Pontificum fide deſcivit. Hæc tandem a Julio II. Pontifice, Joanne Paulo Ballionio pulſo, Anno MDVI. Eccleſiæ imperio reſtituitur, ſtetitque ad MDXII. quo, Julio e vivis ſublato, a Leone X. Succeſſore Tyranni morte recuperatur Anno MDXX., quo tempore expoſitus nummus a Peruſinis in Leonis honorem percuſſus eſt; Leo enim in nummo ſignatus referendus eſt ad nomen, quod aſſumpſit Joannes Medices, quando Pontifex fuit renuntiatus, ut innuit Jovius in ejus vita, cujus verba placet hic referre = *Leonis X. nomen ſibi deſumpſit, utpote qui propter innatam excelſo, regioque animo clementiæ virtutem, non expreſſo quidem titulo, ſed erudita alluſione magnanimi cognomentum affectaret, duorum ſuperiorum ſecutus exemplum, quibus Alexandri, & Julii auguſtiſſima nomina placuiſſent. Non defuere qui dicerent, Claricem Matrem, pleno jam utero, Leonem ingentis magnitudinis, & miræ lenitatis in Reparatæ Templo, Florentiæ omnium maximo, ſe parere ſine gemitu ſomniaſſe; quod poſtea ſomnium ex fabulis nutricum, cum puerorum ingeniis inhæſiſſet, accipiendo nomini cauſam, haud dubiè, præbuerit.*

VI. Ad eundem Leonem ſpectat etiam ſextus æreus, a Xaverio Scilla non obſervatus, nummus, præter illius ævi morem gothico conſcriptus charactere, in cujus anteriori parte, binæ Claves cancellatim diſpoſitæ, ſculptæ apparent, cum circumducta inſcriptione LEO PAPA DECIMVS. In altera fronte Sancti Herculani ſtantis effigies, elevata dextera in actu benedicendi, ſiniſtra Paſtoralem virgam ſuſtinentis, litteris in limbo poſitis S. HERCVLANVS.

I





II



III

III IV






V VI





# PISARUM.

ABſque ulla epigraphe repręſentatur Aquila expanſis alis I.
in primo æreo argento mixto nummo, cum inſcriptione in poſticæ margine PISANI COMUNIS, & in area P. ad cujus latus erectus viſitur Pugio. Piſanos priſcis temporibus Terra, Marique, claruiſſe potentia, barbaraſque Nationes ſubegiſſe ex Blondo, ac Volaterrano didicimus. Pluribus Sęculis libertatem ſuam tutati nemini paruere; varios inde experti Tyrannos, Ugolinos, Agnellios, alioſque, & multis concuſſi calamitatibus, tandem a Florentinis poſt acceptas clades, in eorum poteſtatem devenere.

Eadem porro Aquila expanſis alis oſtenditur pariter in ſe- II.
cundo æreo argento mixto nummo, hocce tamen lemmate circumſepta IMPERATOR. In Poſtica P, & inſcriptio ut in ſuperiori.

In tertio æreo nummo ſculpta apparet P., hac voce cir- III.
cumſcripta CIVITAS. A tergo CRVX, & epigraphes PISANA.

Quartus argenteus nummus Mariæ Virginis Puerum Jeſum IV.
in ulnis geſtantis illuſtratur imagine, cum lemmate PROTEGE VIRGO *Piſas*. Everſus typus demonſtrat in ambitu CIVITATIS, in medio PISE litteris in formam Crucis diſpoſitis. Piſani, ut ſupra innuimus, terra marique potentes, Barbaris ad Panormum deletis, ſpoliis onuſti, Patriam rediere; ubi ſupremo peractis gratiis Numini, in Sanctiſſimæ ejus Matris ad Cœlum Aſſumptæ obſequium, quam in Patronam elege-

elegerant, perauguſtum Templum, quod uſque ad hoc ęvum noſtrum viget, erexere, Anno ab Orbe redempto MLXII., ut colligitur ex Joſeph Martini, qui de hac Baſilica eleganter ſcripſit.

V. In quinto argenteo nummo viſitur ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis imago cum ſupraſcripta epigraphe. Poſticam implet Aquila expanſis alis cum litteris in circuitu FEDERICVS
VI. IMPERATOR; quæ omnia in ſexto nummo ex argento pariter conflato obſervantur.

VII. Septimus argenteus nummus Beatæ Mariæ Virginis oſtendit effigiem, additis in circuitu his vocibus PROTEGE VIRGO P*i*SA*s*. In averſa facie, medium tenet Crux affabre elaborata, & per gyrum POPVLI PISANI.


I



II




III




IV




V




VI




VII




PI-

# PISAURI.

HActenus Pisarum nummos contemplati sumus, nunc ad Pisaurenses describendos progrediamur. Horum primus æreus repræsentat in area K. P. G., & per gyrum DE MALATESTIS. In postica stantis Sancti Terentii Urbis Patroni imago, cum litteris circumpositis S. TERENTIV. Pisaurum elegans Piceni Urbs, ubi Folia, olim Isaurus amnis, in Adriaticum Mare se exonerat, situm, diù sub Malatestarum effloruit imperio. Malatesta de Malatestis, qui Anno MCCCLXXIII. Pandulpho successerat, e vivis rapto, tres Filii superstites Carolus scilicet, Pandulphus, & Galeatius unanimi consensu, uti Pater edixerat, Principatum iniere, sub quibus evulgatum nummum signatum reor, K. pro *Carolo* P. *Pandulpho*, G. *Galeatio*, litteris interpretatis. I.

Ad eandem Malatestarum familiam spectat alter subsequens æreus nummus, in cujus primæ frontis area apparent litteræ P. G. quæ sic interpretari possunt *Pandulphus*, *Galeatius* (Carolus forsan obierat). Posticam implet Sancti Terentii facies, atque additur lemma S. TEZENT. II.

Parvulum ex ære tertium nummum Pisauri a Constantio Sfortia percussum, indicant verba in limbo anticæ expressa CONstAnTIVS SFORCTIA quatuor postremis litteris in area dispositis. In aversa facie visitur Crux, & lemma DE ARAGONA. Galeatius Malatesta a Sigismundo Nepote Arimini Dynasta, Pisauro inhiante, insidiis petitus, cum diù in Principatu se hærere posse diffideret, Friderici Urbini Comitis suasionibus motus Urbem Francisco Sfortiæ Attenduli filio, qui sub id tempus Marchionis titulo Picenum moderabatur XX. millium aureorum nummûm pretio venundavit. Hanc Franciscus, Alexandro fratri, Constantiæ Petri Gentilis Varani, & Elizabethæ Malatestæ filiæ, Galeatii Nepti, matrimonio copulato, regendam tradidit, qui a Nicolao V. in Principatu confirmatus, cum summa humanitate, ac justitia ad Annum usque MCCCCLXXIII. Populis præfuisset, in fata concessit. Alexandro Constantius filius successit, Vir litteris, & virtute præditus, a quo munitissima Arce, aliisque ædificiis plurimum fuit Urbs exornata. Nuptiis, cum Camilla illustri, ac eru- III.

dita

dita Muliere, ex nobiliſſima Aragonum familia coorta, magnificentiſſimo apparatu, celebratis, nullaque ex ea ſuſcepta prole mortem oppetiit Anno MCCCCLXXXIII.

IV. Quartus argenteus nummus in circuli ſummitate præfert Piſaurenſis Urbis Stemma, ſubſequentibus vocibus IOANNES SFORTIA PISAVREN*ſis*; in medio Sfortiarum inſignia. Poſtica Beatæ Mariæ Virginis Puerulum Jeſum in ulnis geſtantis effulget imagine, cum inſcriptione ORA PRO NOBIS P*eccatoribus*. Elato Conſtantio, Joannes ex damnato Coitu filius, Philoſophiæ ſtudiis mirificè deditus, auctoritate Pontificis, ſufficitur. Hic ad ſextodecimi initium Sæculi uſus Principatu, eo a Cæſare Borgia Alexandri VI. armis fulto dejectus, Venetias confugit; ibique cum Junipera Theupola natalium claritudine, ac morum ſuavitate illuſtri, jugali vinculo ſe conjunxit. Verùm exoptato de morte Alexandri nuncio audito, Piſaurum reverſus, humaniſſimè a Popularibus exceptus eſt.

V. Quintus æreus nummus ſub eodem Joanne cuſus eſt; in ejus enim gyro legitur JOANNES SFORTIA P*iſaurenſis*; in medio Leo Pomum Cydonium efferens, Stemma a Roberto Imperatore Mutio Attendulo conceſſum, ut refert Jovius, in ejus vita Cap. XVIII. hiſce verbis. *Viſebatur in Sfortiæ Vexillis Citonium pomum, vetus Attendulæ Gentis inſigne, ductum ſcilicet ab Oppidi nomine, uti Principem familiam decuit. Ad id aſpiciens Cęſar, & ad Sfortiam ſe convertens: Dignum, inquit, virtute tua Leonem dabo, qui Citoninm læva ſuſtineat, & minaci dextera tueatur, ne quis attractet, atque corripiat. Atque ita tabulis lata membrana confectis, Leonem fulvum erecta Cervice, alteri pedi innixum, dono dedit*. Totam poſticam implet hæc vox, PISAVRVM in laurea Corona conſcripta; Cęterum Joannes ad avitum Regnum repetitus, Populos magna felicitate, ac inclyta juſtitia, ad finem uſque vitæ gubernavit: contigit hic Anno MDX. Conſtantio filio quinque tantum menſibus nato ſuperſtite, quo non multo poſt functo, Urbis regimen, ut in ſequenti nummo dicemus, a Galeatio Joannis Fratre ſuſceptum eſt.

VI. Sextus æreus nummus repræſentat in area Quercum Familiæ Roboreę Gentilitium Scutum, deſuper in margine Urbis Piſaurenſis Inſigne, ſubſequentibus litteris FRANC. MA. DVX.

DVX. DO. P., nempe *Franciſcus Maria Dux*, ſubintellige *Urbini Dominus Piſauri*. In Poſticæ medio legitur PISAVRI abſque alia inſcriptione. Poſt elatum Joannem, a fratre Urbis Imperium ſuſcipitur, qui cum a Julio II. Principatus confirmationem nullo pacto ſe conſequi poſſe cognoſceret, honeſtis cum Pontifice pactis conditionibus, Urbe ſe abdicavit, quæ mox a Pontifice, Franciſco Mariæ Roboreo Nepoti, pro magna pecuniarum vi, quam ei Eccleſia Romana ſtipendiorum nomine debebat, accedentibus etiam Cardinalium ſuffragiis, fuit collata; iccirco ſub Franciſci Imperio nummus percutitur.

Primam ſeptimi argentei nummi frontem occupat Præſepe, in quo Dominus Noſter, quem Virgo Mater, & Paſtores in genibus procumbentes adorant, hac voce inferius tantum exarata PISAV*rum*. A tergo viſitur Sol cum epigraphe in gyro *Franciſcus* MARIA DVX VRBINI; in medio Aquilam, & tres pullos obſervabis, duos nempe in nido, tertium a Matre roſtro apprehenſum, & ab illa rejectum. Solent enim Aquilæ ſuos probare partus, ut habetur ex Plinio Lib. x. Cap. III. eos Solis ſplendori obiiciendo, qui, ſi oculorum acie palpitaverint, tamquam adulterini proiiciuntur. VII.

Octavus aureus nummus, eo tempore, quo lateritiis mœnibus Piſaurum cæpit Franciſcus circumvallare, cuſus eſt; quæ murorum forma in prima ejuſdem nummi parte repræſentatur cum his vocibus in medio F. MARIA DVX VRBINI, & in gyro PISAVRVM REEDIFICAVIT. A tergo Sancti Franciſci expanſis brachiis ante Chriſtum Crucifixum in genibus flexi effigies, cum lemmate GRESSVS MEOS DIRIGE. VIII.


In medio noni ærei nummi legitur hæc inſcriptio VRBINI litteris in quercea Corona exaratis; Retrò Mediceorum ſtemma cum hiſce circumpoſitis vocibus LAV. ME. DVX. VRB. DOM. P.; ideſt *Laurentius Medices Dux Urbini Dominus Piſauri*, cum ſcutulo in marginis ſummitate poſito, Urbis inſignia complectente. Leo X. Mediceam Familiam beneficiis, ac honoribus aucturus ampliſſimis, Franciſco Maria Roboreo Urbini Duce, Eccleſiaſticis, non injuſtas prorſus ob cauſas, Cenſuris percuſſo, valido conflato exercitu, cui præerat Laurentius Nepos, in agrum Urbinatem copias immiſit. In hac improviſa rerum viciſſitudine perterritus Rovereus, ſævienti fortunæ cedere coactus, Urbino relicto, Piſaurum conceſſit, ſed nec illic ſibi tuto verſari viſus, IX.

ſus, Mantuam cum Familia perrexit. Cęterum Cives, deficientibus ad ſe tuendos viribus, poſitis armis, Pontifici ſe dedidere. Poſt hæc Pontifex brevi tota Urbinati ditione potitus, Franciſcum, in Conciſtorio habito die 18. Auguſti MDXVI., a Principatu amovit, & in ejus locum Laurentium, Cardinalibus annuentibus (Grimano demto Urbini Epiſcopo, ac Ducis neceſſario) Ducis titulo ſuffecit. Non abs re porro fuerit, Paridis de Graſſis Cœremoniarum Sacelli Pontificii Magiſtri apud Raynaldum ad dictum annum num. 83. verba referre = *Creavit Magnificum D. Laurentium de Medicis Nepotem ſuum Ducem Urbinatem, & Dominum Piſaurenſem, ſive perpetuum Vicarium Piſauri, in omnibus, & per omnia, ſicuti ſolitum eſt de creatione novi Ducis*. Imperante ergo Laurentio expoſitus nummus percuſſus eſt.

I




II




III




IV




V




VI




VII






VII




IX

IX




# PLACENTIÆ.

IN area primi argentei nummi exhibetur Crux, lemmate circumſcripta DE PLACENTIA. In adverſæ partis medio legitur CONRADI, & in circuitu REGIS SECVNDI. Sane ab hoc Rege prærogativam cudendi Monetas, Placentinis Anno Chriſti MCXL. fuiſſe collatam, ex Muratorio Tom. XVI. Rer. Ital. Script. didicimus, ubi in Cronico Placentino, hæc habentur: *Eodem anno Rex Conradus Secundus fecit Privilegium Placentinis faciendi Monetam, & eodem Anno dicta Moneta fuit incępta fieri.* I.

Secundus æreus pauculo argento mixtus a Xaverio Scilla non obſervatus nummus, præfert in medio Crucem pereleganter efformatam, addita inſcriptione LEO. X. PONT. MAX. A tergo Urbis Placentiæ Inſigne, & lemma GRATA PLACENCIA. Ejectis, ut diximus in primo Parmenſi nummo, Julii II. ſtudio, tota Italia Gallis Anno MDXII. Placentia ſub Eccleſiæ poteſtate eſſe cæpit. Julio eodem Anno ſublato, Maximilianus Sfortia Mediolani Dux Urbem invaſit, quam tamen Leoni Succeſſori reſtituit. Verùm cum Anno MDXV. Franciſcus Galliarum Rex in Italia gravi cum exercitu deſcendiſſet, totumque Mediolanenſem Ducatum brevi occupaſſet, Placentiam pariter ſui juris effecit, tenuitque ad Annum MDXXI. quo Gallis, a Pontificiis, Cęſarianiſque armis toto Inſubrium Ducatu pulſis, Placentia ad obſequium rediit Eccleſiæ; quod cum accepiſſet Leo, præ nimia lætitia ſuccubuit; idcirco, primis Imperii Leonis Annis Placentinos evulgatum cuſiſſe nummum, dicendum eſt. II.

In area tertii ærei nummi oſtenditur Sancti Antonini Placentiæ Protectoris effigies, cum litteris SA. ANTONINVS. In poſtica mulieris ſedentis imago, dextera binas Claves decuſſatas ſuſtinentis, cum epigraphe FIDA PLACENTIA. III.

I II




III



# R E C I N E T I.

I. UNus tantum hucuſque non evulgatus Recineti percuſſus penes me ſervatur nummus „ in cujus primæ frontis gyro conſpiciuntur hæ litteræ RECAN. , & in medio E. T. I. hoc eſt *Recaneti* . In altera facie viſitur Crux , cum inſcriptione in margine S. FLAVIAN. nempe *Sanctus Flavianus* Urbis Protector .

I



# REGII LEPIDI.

I. PRimus æreus nummulus præfert in medio litteram N. , nempe *Nicolaus* in gyro EPISCOPVS ; Aream adverſæ partis occupat Lilium , lemmate circumſcriptum REGIVM . Nummus ſub Nicolao Maltraverſio , qui Sæculo tertiodecimo vivebat , percuſſus eſt ; fuit hic Vicentinus , & quinquageſimus ſecundus Regii Epiſcopus .

II. In ſecundo argenteo nummo Sancti Epiſcopi cum Tiara in capite apparet vultus , his vocibus in margine exaratis S. PROSPER EPS REGII ; nempe *Sanctus Proſper Epiſcopus Regii* ; in imo Regienſis Urbis Icon Teſſeraria . Retrò quoddam veluti Thu-

Thuribulum cum inſcriptione HERCVLES DVX. Cum Mutinenſes Anno MCCLXXXVIII. Obizonem Eſtenſem ſponte ſibi Principem delegiſſent, Regienſes hujuſce præclari Viri probitate, æquitateque allecti, in ſuum Rectorem biennio poſt aſciverunt. Cæterum Mutinenſibus de Anno MCCCVI. ab Azone, qui Patri ſucceſſerat, deſcitis, horumce exemplum ſequuti, defectionem & ipſi eodem tempore moliti ſunt. Urbe porrò, ab Nicolai III. armis ſub Uguccionis de Contrariis ductu, Anno MCCCCIV. occupata, juſtaſque ob cauſas dimiſſa, in Ottoboni Parmæ Tyranni poteſtatem devenit, quo poſt quinquennium a Nicolao cæſo, Urbis dominatum ipſe ſuſcepit; in quem Leonellus, poſtea Borſius, deinde Hercules, ſub quo nummus percutitur, ex eodem nati, ſucceſſere.

Ad eundem Herculem ſpectat tertius argenteus nummus, III. in cujus antica viſitur illius Caput, hiſce vocibus in limbo ornatum HERCVLES DVX II. Alterius partis medium occupat Regienſis Urbis inſigne, cum inſcriptione REGIVM LEPIDI; cæpit Hercules Regii dominari Anno MCCCCLXXI. ætatemque complevit, & Principatum Anno MDV.

Quartus argenteus nummulus ſub eodem Hercule cuſus eſt; IV. in hujus anteriori parte Naſſæ figura exhibetur, cum litteris in ambitu DIVO HERCVLI D*uci*. In poſtica Urbis Teſſera, & lemma REGIVM LOMBARD*orum*.

Quintus argenteus nummus ſub Alphonſo Herculis filio cuſus eſt. V. In prima ejus parte apparet Principis effigies, litteris in gyrum poſitis ALFONSVS DVX. In averſa facie Sanctus Proſper ſtans, ſiniſtra paſtoralem virgam tenens, dextera benedicens, in margine S. PROSP*er* EPIS*copus* REGII; in ima parte Urbis Stemma. Inniit Alphonſus Regii Principatum anno M D V., & ex juvenili ejus facie in nummo exſculpta, hunc, ante Annum MDXII. obſignatum, evincitur; eodem enim Anno cum ab Julii II. armis Urbs fuiſſet occupata, ſtetiſſetque ſub Pontificum poteſtate, ut dicemus in nono nummo, ad Annum MDXXIII., hac temporis intermiſſione, non ab Eſtenſi, ſed a Julio II, ſucceſſoreque Leone, Monetæ Regii cuſæ ſunt.

In prima ſexti argentei nummi fronte, ſculptum apparet VI. Sancti Proſperi Regienſis Urbis Epiſcopi, ac Patroni Caput, cum epigraphe S. PROSPER EPS REGII; inferius Urbis

ſcutum

ſcutum ſymbolicum. A tergo viſitur Aquila expanſis alis, cum circumductis vocibus ALFONSVS DVX.

VII. In ſeptimo æreo nummo, ejuſdem Alphonſi imagine ornato, hæc exhibetur inſcriptio ALFONSVS DVX. Altera ex parte Regii Icon Scutaria lemmate circumſepta REGIVM OLIM AEMILIA. De hac appellatione vide Murat. Diſſert. xxi. de Statu Italiæ.

VIII. In octavo æreo nummo oſtenditur ignita Pila Alphonſi ſymbolum, litteris in gyrum poſitis ALFONSVS DVX REGII; In adverſo Urbis Scutum Teſſerarium, cum circumducta epigraphe REGIUM.

IX. Totam primæ frontis noni ærei nummi, a Xaverio Scilla non obſervati, aream occupant binæ Claves decuſſatæ, quibus imminet Tiara Pontificia, circumvero legitur IVLIVS II. P*ontifex* M*aximus*. Alterius partis medium Urbis Schema tegit, & in ambitu REGIVM LEPIDI. Diſſidiis, ac ſimultatibus inter Julium II. Pontificem, & Alphonſum Ferrariæ, ac Regii Ducem coortis; Franciſcus Urbini Dux Julii ex fratre nepos Eccleſiæ Armorum Imperator, cum Ravennam, aliaſque Romandiolæ Urbes Anno MDXII. ad fidem Pontificis redegiſſet, Bentivoloſque, Bononia, ab ipſis anteacto Anno jam occupata, excedere coegiſſet, in agrum Regienſem irrumpit, Urbemque, omni militum præſidio deſtitutam (hoſce enim Cardinalis Eſtenſis Alphonſi frater ad Ferrariam tutandam ſub id tempus evocaverat) pro Eccleſia occupavit, eodemque Anno hujuſcemodi nummi ſignati ſunt.

X. Decimus argenteus nummus ipſiuſmet Alphonſi effigie ornatus conſpicitur, cum litteris, ALFONSVS III. DVX REGII. Ex adverſo Sanctus Proſper ſedens, elevata dextera ad benedicendum, ſiniſtra Pedum tenens cum epigraphe conſueta S. PROSPER EPS REGIENSIS. Hadriano Pontifice ſublato Anno MDXXIII. Alphonſus Ferrariæ Dux, ſuas ab Eccleſię armis jam occupatas Urbes, recuperaturus, deductis in agrum Mutinenſem Copiis, cum Urbem, Franciſci Guicciardini Italicæ Hiſtoriæ Scriptoris celeberrimi, quem ei tuendæ Pontifex præfecerat, arte, ab Eccleſiæ fide minime abducere valuiſſet, Regium, nulla interpoſita mora contendit, inclamatoque Eſtenſium nomine, Regienſes Ducis ſtudio accenſi, ei tertio Kalendas Octobris ſe dedidere; poſt recuperatam ergo Urbem hancce

Alphon-

Alphonſum cuſiſſe Monetam, ex ejus ſenili facie in ea inſculpta, ſane deducitur.

Ad eundem Alphonſum pertinet undecimus æreus num- XI.
mus; ibi caput Principis viſitur, circumpoſita inſcriptione ALFONSVS DVX FERRARIAE III. Poſticam Urbis Stemma occupat, circumductis litteris REGIVM OLIM AEMILIA.

In duodecimo æreo nummo ſculptus apparet Unicornus; XII.
limbus inſcribitur his verbis ALFONSVS DVX. A tergo Sancti Proſperi Imago, litteris in gyrum poſitis S. PROSPER EPS REGIEN.

Decimus tertius æreus nummus effigiem Ducis exhibet, XIII.
cum inſcriptione ALFONSVS DVX REGII III. Poſterior pars hiſce vocibus ſignatur REGIVM LEPIDI, ſic vocitatum non a Lepido Triumviro, uti nonnulli ſcripſere, ſed a Marco Æmilio Lepido, a quo Colonia in hanc Urbem deducta eſt. Anno ante ortum Chriſti CLXXV.

I




II




III




IV




V




VI




VII

VII




VIII





IX




X





XI




XII





XIII




## S A B A U D I Æ.

I. UNicus tantum æreus nondum evulgatus, a Sabaudiæ Comitibus obſignatus, penes me ſervatur nummus, in cujus primæ frontis area exhibetur Scutum cum Cruce Sabaudienſi, lemmate circumſcriptum AMEDEVS COMES. Alterius partis medium tenet Crux, quatuor Cruciculis ejus brachia intercipientibus, & in limbo DE SABAVDIA. Nummum hunc ad Amedeum V. ſpectare cenſeo, qui vivere deſiit Anno MCCCXXIII.

I




SE-

# SENARUM.

IN antica primi argentei nummi visitur littera S. antiquo more exarata, Civitatis nomen indicans, additis in margine his verbis SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. Alterius frontis medium Crux tegit, lemmate circumsepta ALFA. з. O. PRINCIPIV з. FINIS; nempe *Alpha, & Oméga Principium, & Finis*. I.

Secundus argenteus nummus exhibet in medio geminos fratres, Romulum nempe, & Remum, quibus Lupa submissas præbet mammas, Senarum Urbis Insigne, sculptis per gyrum litteris SENA VETVS CIVITAS VIRGI*nis*. Postica præfert Crucem graphice elaboratam, & epigraphen A. ET. O. PRINCIPIV ET FINI: hoc est *Alpha, & Oméga, Principium, & Finis*. II.

In area tertii ærei nummi occurrit unum S cum lemmate SENA VETVS. A tergo Crux litteris in gyro positis CIVITAS VIRGINIS; sic vocitata, eo quod Mariæ Virgini Urbem suam Senenses dicaverint. III.

I



II



III




# SENOGALLIÆ.

IN prima hujusce ærei nummi fronte, Sancti Paulini Urbis Episcopi, ac Patroni, stantis, ostenditur effigies, elevata dextera ad benedictionem impartiendam, sinistra Lituum I.

ſuſtinentis, cum circumducta epigraphe S. PAVLINVS. Totam ſecundæ partis aream occupat Robur, Rovereę Familiæ gentilitium Scutum; in margine CIVITAS SINIGALI. Perpaucos Senogalliam cuſiſſe nummos, hoſque ſub Roborea tantum Familia, ſcito. Urbs hæc a Malateſtis, Pontificibus Avenione degentibus, occupata, ad Pii II. uſque tempora ſub eorum ſtetit imperio, quibus pulſis, ſub Eccleſiæ poteſtate denuo eſſe cæpit, perduravitque ad Annum MCCCCLXXIV. quo a Sixto IV. Summo Pontifice, Joanni ex fratre Nepoti, ſub Vicarii titulo conceſſa eſt, qui cum hanc ampliſſimis auxiſſet ædificiis, validiſſimaque arce firmaſſet, fato raptus, Franciſco Mariæ, quem ex Joanna Friderici Feltri Urbinatum Ducis filia ſuſtulerat, regendam reliquit. Sub horumce ergo imperio evulgatus nummus percutitur, Patriſne, an Filii, incertum.

I




## VENETORUM DUCUM.

I. PRimus æreus nummus ad Sebaſtinum Cianum pertinet, qui Ducalem iniit dignitatem Anno MCLXXIII., in cujus limbo legitur S. ZIANI DVX, & in area litteræ V. N. C. E. in formam Crucis diſpoſitæ, hoc eſt *Venetiæ*. In adverſa obſervatur Crux cum quaternis Liliis in angulis, lemmate circumſepta S. MARCVS. Eo tempore Zianus geſſit Principatum, quo Alexander III. Pontifex a Federico Œnobarbo inſidiis petitus, quum omnia Italiæ loca ſibi infeſta cognoſceret, ementito habitu Venetias confugit; ibique a Patribus perhonorificè ſuſceptus eſt; quod cum reſciviſſet Cæſar, comparata Claſſe, cui pręerat filius Otto, eam in Venetas oras immiſit, cui occurrens Cianus, pluribus dimicat horis, hæſitante de triumpho fortuna, quâ tandem ad Venetos declinatâ, Ottone intercepto, hoſtium Claſſis profligatur. Tanta clade perterritus Fridericus, ad pacem converſus, magno cum

Co-

Comitatu Venetias ſe contulit, ibique pace cum Pontifice conciliata, ad oſculum Pedis, & Pacis admittitur Sabell. Hiſt. Ven. Dec. I. Lib. VII.

Prima ſecundi ærei nummi pars inſcripta eſt hiſce litteris in ambitu E. DADVLO DVX: nempe *Henricus Dandulo Dux*, in area V. N. C. E. nempe *Venetiæ*. In altera facie viſitur Crux cum inſcriptione circumducta S. MARCVS. II.
Henricus ab Emanuele Grçcorum Imperatore jam excçcatus, a Patribus in Ducem eligitur Anno MCLXXXXI; Hoc imperante Alexius IV. quindecim annorum Puer, Iſacii II. Orientis Imperatoris filius, ab Alexio Patruo Imperio dejectus, ad Venetos opem imploraturus confugit, qui valido inſtructo Exercitu, una cum aliis conſociatis Principibus in Tyrannum irrumpunt, quo pulſo, Nepos una cum Patre jam excçcato in Principatum reſtituitur, Hiſce porro a Murzufluo imperium affectante enecatis, eoque ab Confçderatorum copiis fugato, Balduinus in Orientis Imperatorem, & Thomas Maurocênus in Patriarcham Conſtantinopolitanum renuntiantur. Poſt hæc Biſantii moritur Dandulus Anno Imperii XIII. cum antea argenteam Monetam *Mattapanis* vocitatam, a Muratorio evulgatam ſub num. II., primò ſignaſſet.

Tertium æreum nummum a Jacobo Theupolo ad Ducalem dignitatem evecto Anno MCCXXVIII., percuſſum indicant litteræ in primæ frontis margine exaratæ I. TEOPVL DVX; in medio V. N. C. E., ſcilicet *Venetiæ*. In poſtica Crux quatuor Liliis ejus brachia intercipientibus, cum epigraphe S. MARCVS. Sub hoc Principe, pro recuperanda Ferraria, a Friderico II. jam occupata, Venetis a Pontifice in auxilium accitis, hi deducta per Padum Claſſe, cui prçerat Theupolus, Salinguerra Taurelio Imperatoris Præfecto intercepto, Urbem in poteſtatem Eccleſiæ redegerunt, quo tempore Venetis, ſuum Ferrariæ detinendi Prætorem, poteſtas facta eſt. III.

Poſt elatum Marinum Maurocênum, omnium ſuffragiis Raynerius Zenus Anno MCCLII. Dux deſignatur, ſub cujus auſpiciis quartus æreus nummus cuſus eſt; demonſtrat hic in anteriori primæ frontis area V. N. C. E.: ideſt *Venetiæ*; in margine RA. CENO. DVX. Adverſæ partis medium occupat Crux; in gyro epigraphes S. MARCVS. IV.

In antica quinti ærei argento mixti nummuli viſitur Crux V.

cum circumductis vocibus LA. TE. DVX: hoc est *Laurentius Theupolus Dux*. A tergo Crux pariter, & lemma S. MARCVS. Emortuo Zeno, a Patribus Theupolus sufficitur Anno MCCLXVIII., qui cum per quinque annos Rempublicam gubernasset, vita excessit.

VI. Ad Joannem Dandulum, qui primò aureum Ducatum Venetum vulgo *Zecchino*, ut dicemus in nono nummo, fecit obsignare, spectat sextus æreus nummus, ut indicant verba in ejus margine conscripta IO. DANDVLVS DVX; in medio V. N. C. E. nempe *Venetiæ*. In adversa Crux cum consueta epigraphe S. MARCVS. Sub hujus Principatu capta a Saladino Hierosolyma, Veneti, qui sub id tempus Ptolemaidem moderabantur, pactis cum hoste ad sexennium induciis, a Pontifice pro Urbe tuenda suppetias enixe postulabant, qui mille & quingentis Equitibus in Syriam immissis, dum Christianos Principes inter se diffidentes ad arma in hostes convertenda, at perperam, sollicitaret, elapso Induciarum tempore, Sultanus totis viribus in Ptolemaidem incubuit; sed pertinax Venetorum virtus nec labori, nec periculo parcens, cum aliquandiu Barbarorum audaciam contundisset, tandem obsidionis præferendæ tædio, ac auxiliorum spe destituta, Urbem hosti cessit, & sic Christianum nomen, maxima herclè Europeorum nota, in tota Syria defecit. Dux hic Principatum obtinuit Anno MCCLXXX. & post nonum Regni annum contabuit.

VII. Septimus ex ære & argento compactus nummus sub Petro Gradonico, ad Ducalem dignitatem Anno MCCLXXXIX. adscito, percutitur; hujusce primæ partis area ornatur Cruce, cum circumducta inscriptione PE. GRA. DVX. In postica visitur pariter Crux, & lemma S. MARCVS. Illo ævo præfuit hic Reipublicæ, quo, a Bajamonte Theupolo, sanguine claro, cum quibusdam illustribus Viris facta in Rempublicam conspiratione, ingruentibus ad Regiam Rebellibus, obviam cum Principe Senatores proficiscuntur, consertaque pugna, adeo fortiter se gessere Patres, ut hostes ad fugam capessendam adegerint, in qua Theupolus ex vulneribus moritur, reliqui intercepti, capite plexi, vel exilio mulctati, perduellionis pęnam luunt; contigit hoc, ut Sabellicus perhibet Dec. II. Lib. I die 15. Junii, D. Vito, & Modesto sacra. Cæterum Gradonicus, cum quatuor & viginti regnasset annos, decessit.

Octa-

Octavus æreus nummus ad eundem Gradonicum ſpectat; exhibet hic in primæ frontis area V. N. C. E. hoc eſt *Venetiæ*, & in gyro PE. GRADONICO DVX; A tergo Crux, & lemma S. MARCVS. VIII.

En habes in nono nummo Aureum Ducatum Venetum, vulgo *Zecchino*, a Joanne Superantio, in Ducem ſubrogato Anno MCCCXIV. percuſſum. Hunc primo ut diximus in ſexto nummo cudere cæpit Joannes Dandulus, ut habetur in Faſtis Ducalibus Marini Sanudi apud Murat. Tom. XXII. Rer. Italic. Script. col. 400. hiſce verbis = *In nomine Dei Omnipotentis. Anno ab Incarnatione Dñi Noſtri Jeſu Chriſti MCCLXXXIIII. Menſe Martii Ind: XIII. Tempore Egregii Viri, & Honorabilis coram Deo, & Hominibus Dñi Johannis Dandulo Inclyti Ducis Venetiarum, fuit prius quædam facta Moneta auri, quæ vocata eſt* Ducatus *ad honorem B. Marci Evangeliſtæ, & Omnium Sanctorum, & Reipublicæ Venetiarum* = Oſtendit hic in area Sanctum Marcum, Duci in genua provolutum, Vexillum porrigentem, ſub cujus apice DVX, & in nummi limbo IO. SVPANTIO, pone Sancti Marci effigiem S. M. VENETI; nempe *Sanctus Marcus Veneticorum*, ſive *Venetiarum*: in ſecunda nummi fronte viſitur Salvator noſter ſtans, cum his vocibus in circuitu SIT T. XPE. DAT. Q TV. REGIS ISTE DVCAT., quæ in aureo Ducato Franciſci Danduli exponentur. IX.

Decimus argenteus nummus, *Mattapanis* antiquitùs vocitatus, præfert in antica Sanctum Marcum ſtantem, dextera manu vexillum tenentem, ac illud Duci porrigentem, ſiniſtra Evangeliorum Librum ſuſtinentem, cum epigraphe S. M. VENETI FRA. DANDVLO DVX, ſcilicet *Sanctus Marcus Venetiarum Franciſcus Dandulo Dux*, qui ad Ducalem dignitatem Anno MCCCXXVIII. evectus eſt. Poſtica Jeſu Chriſti effulget Imagine ſuper Cathedram ſedentis, cum Evangeliorum libro in gremio, ac græcis litteris $\overline{\text{IC}}$ $\overline{\text{XC}}$; ideſt *Jeſus Chriſtus*. X.

In Undecimo argenteo nummo oſtenditur ipſius Danduli ſtantis effigies, ambabus manibus vexillum ſuſtinentis, additis in circuitu his vocibus FRA DANDVLO DVX. In adverſo Sancti Marci protome, dextera benedicentis, ſiniſtra Evangeliorum Librum ſuſtinentis, & epigraphes S. MARC. VENETI. XI.

In

XII. In hoc aureo duodecimo nummo vulgo *Zecchino*, ad eundem Principem pertinente, demonſtratur inſcalpta Ducis imago, a Divo Marco vexillum recipientis, cum inſcriptione S. M. VENETI BA. GRADONICVS DVX. Retro Salvator noſter ſtans; ad latera hinc quatuor ſtellæ, illinc quinque, & a duabus ovalibus lineis circumdatus, cum lemmate SIT. T. XPE. DAT. Q. T. REGIS ISTE DVCAT., quæ verba ſic placet exponere: *Sit tibi Chriſte datus, quem Tu regis iſte Ducatus*.

XIII. Funebribus Danduli pompis jam abſolutis, Reipublicæ Princeps Anno MCCCXXXIX. declaratur Bartholomæus Gradonicus, ſub cujus Imperio Divorum Marci, Nicolai, & Georgii ope ab horrendo diluvio Urbs liberata eſt, facto Divi Marci Anulo comprobato, ut ſcribit Petrus Juſt. in Hiſt. Venet. Lib. III. Demonſtratur in hoc decimo tertio argenteo nummo, in genua provoluti Ducis imago, ambabus manibus vexillum tenentis, cum his vocibus in circuitu BA. GRADONICO DVX. A tergo Leo vexillum ſuſtinens, Reipublicæ Venetæ Inſigne, & lemma S. MARCVS VENETI.

XIV. Ad eundem Gradonicum ſpectat decimus quartus aureus nummus, in quo oſtenditur Ducis effigies, a Divo Marco vexillum recipientis, cum epigraphe S. MA. VENETI. BA. GRADONICVS DVX. In adverſa Salvator ſtans, & inſcriptio uti in nono.

XV. Gradonico fatis ſublato, Andreas Dandulus Vir calamo, gladioque celebris, tribus & triginta tantum annis natus, a Patribus ſubrogatur Anno MCCCXLII. Viſitur in hoc decimo quinto argenteo nummo Sancti Marci ſtantis imago, Dandulo gladium porrigentis, ad reprimendos forſan Jadarenſes, qui ſepties a Venetis jam deſciverant, aut Ligures debellandos, qui onerarias Venetorum naves dolo prædati fuerant, ut narrat Sabell. Dec. II. Lib. III. cum hiſce circumpoſitis vocibus. S. M. VENE. DVX. AN. DADVL.; nempe *Sanctus Marcus Venetiarum Dux Andreas Dandulus*; in imo M. Monetarii forſan nominis littera initialis. Altera ex parte Chriſtus e ſepulcro reſurgens, cum lemmate XPS RESVRESIT pro *Chriſtus reſurrexit*.

XVI. Marino Falerio Duce, qui in Patriam conſpiraverat, Patrum Sententia enecato, Comitiis habitis, Joannes Gradonicus

Anno

Anno post Christum natum MCCCLV. eligitur, sub cujus Imperio decimus sextus argenteus hic nummus percutitur; Hujusce areola a Ducis imagine occupatur, cum litteris circum exaratis IOHA. GRADOICO. Aversum typum Leo implet, cum epigraphe S. MARCVS VENETI.

Sub Laurentio Celso, Anno MCCCLXI. in Principem as- XVII.
sumpto, decimus septimus aureus hic nummus vulgo *Zecchino* signatur, in cujus prima fronte ostenditur ejusdem Ducis effigies, vexillum a Divo Marco accipientis, cum epigraphe LAVR. CELSI DVX S. M. VENETI. A tergo Salvator noster stans, & lemma uti in IX. Laurentio imperante, cum Cretenses a Venetorum fide defecissent, ipse immissa ad vindictam Classe, Rebelles, terra, marique clausos, in tantas angustias redegit, ut positis armis, venia petita, ad obsequiumm redierint. Post hæc Celsus, quadriennio Regni anno nondum exacto, naturæ concedit.

Ad eundem Ducem pertinet decimus octavus argenteus num- XVIII.
mus, in cujus fronte visitur ipsius effigies, ambabus manibus vexillum sustinentis, litteris in gyrum positis LAVR. CELSI DVX. In adversæ partis area littera A, & Leo, cum epigraphe uti in XIII.

Post elatum Celsum, Marcus Cornelius inauguratur Anno MCCCLXV, quo tempore Cretenses reasumptis viribus, sub Joannis Calergii ductu, a Venetis iterum descivere, qui ad illorum retundendam audaciam immissis copiis, post varios belli eventus, tandem Joanne, aliisque seditionis principibus interceptis, hisque vel laqueo, vel securi percussis, Insula ad an-
tiquos Dominos redigitur. Obiit Dux tertio sui Regni Anno, XIX.
cum antea Aureum hunc Ducatum obsignasset, nec non sub-
sequentem sub num. XX. expositum argenteum nummum, in XX.
quo ipsius observatur imago, cum inscriptione MARC. CORNAR. DVX. In altera facie littera M. & erectus Leo, cum lemmate uti in XIII.

Perrarum habes optimę conservationis vigesimum primum ęre- XXI.
um nummum, sub Andrea Contareno, in emortui Cornelii locum suffecto Anno MCCCLXVII, signatum. Exhibet hic in medio Crucem, & circum litteras ANDR. CTAR. DVX. Alterius partis aream LeoVenetus alatus, cum Evangeliorum libro, tegit, addita inscriptione VEXILFER VENETIAM, scilicet *Vexillifer Venetiarum*.

Vi-

XXII. Vigeſimus ſecundus aureus nummus deſignat in prima fronte Sancti Marci Iconem, vexillum Antonio Venerio, qui fuit in Ducem adſcitus Anno MCCCLXXXII, porrigentis, cum epigraphe ANTO VENERIO S. M. VENETI. Reliqua uti in aureo Ducato.

XXIII. Vigeſimus tertius argenteus nummus *Mattapanis* vocitatus, repręſentat ejuſdem Venerii imaginem, vexillum a Divo Marco excipientis, duabus ſtellis hinc inde locatis, atque additur inſcriptio ANTO VENERIO S. M. VENETI. Poſtica pręfert Chriſti in Cathedra ſedentis effigiem, cum circumducta epigraphe TIBI LAVS ʒ GLORIA, ideſt, *Tibi laus, & gloria*.

XXIV. Vigeſimus quartus aureus nummus hac inſcriptione ſignatur MICHAEL STEN*us* S M. VENETI. Reliqua ut in aureo Ducato. Hic Anno MCCCC. ad Ducale Solium evectus, Liguribus navali prælio deletis, Venetaque, Franciſci Carrarienſis nece, ditione aucta, tertiodecimo Principatus anno e vita exceſſit.

XXV. Vigeſimi quinti argentei nummi limbus hiſce litteris inſcribitur MICHAEL STEN*us* S. M. VENETI; area Divum Marcum, & Ducem exhibet, nec non poſtica ſedentis Salvatoris imaginem, & lemma ut in XXIII.

XXVI. Vigeſimus ſextus aureus nummus ad Thomam Mocenicum ſpectat, qui Anno MCCCCXIII. in Principem cooptatus, cum per decennium Rempublicam optime gubernaſſet, & Tragurium, Spalatrum, Catharum, Feltriam, Cenetamque Veneto adjunxiſſet imperio, inter mortales eſſe deſiit.

XXVII. Vigeſimi ſeptimi aurei nummi limbus hiſce vocibus apparet inſcriptus FRAC. FOSCARI DVX; nempe *Franciſcus Foſcari Dux*, qui Ducali inſignitus dignitate Anno MCCCCXXIII, maximis præliis terra, marique confectis; Ravenna, Brixia, Bergamo, Crema, ſub Carmagnolæ ductu, Venetæ ditioni addictis, poſt quartum, & triceſimum Regiminis Annum ob nimiam ſenectutem a Patribus exauctoratus, paucos poſt dies occubuit. Cætera ut in aureo Ducato.

XXVIII. Vigeſimus octavus argenteus nummus, a Venetis illo ævo *Groſſus* vocitatus, ſub eodem Foſcari cuſus eſt; in hujus antica repræſentatur ſtantis Ducis effigies, ambabus manibus vexillum ſuſtinentis, cum inſcriptione in margine FRA. FOS-

CARI

CARI DVX; Poſtica ob Sanċti Marci eminet imaginem, litteris circumſeptam S. MARC. VENETI.

Ad eundem Foſcarum ſpectat vigeſimus nonus argenteus nummus *Mattapanis* dictus, in quo obſervatur Sanctus Marcus vexillum de more Duci porrigens, litteris hinc inde diſpoſitis N. B., cum inſcriptione circumducta FRA. FOSCARI DVX S. M. VENETI. In poſtica Chriſti in Cathedra ſedentis effigies, litteris in gyrum poſitis TIBI LAVS ʒ GLORIA. XXIX.

Sub eodem Duce trigeſimus argenteus nummulus cuſus eſt; exhibet hic ejuſdem Ducis ſtantis imaginem, cum epigraphe FRA. FOSCARI DVX. A tergo Venetus alatus Leo, & lemma S. MARCVS VENETI. XXX.

Trigeſimus primus argenteus nummulus præfert Nicolai Troni in Ducem electi Anno MCCCCLXXI. effigiem, utraque manu vexillum ſuſtinentis; pone Ducem L. M.; in circuitu NI TRONVS DVX. A tergo Leo Venetus alatus abſque ulla inſcriptione. Nummulus hic ſex granos in pondere non excedens, ea tempeſtate *Solidus* vulgo *Marchetto* appellabatur, quorum viginti *Libram*, ſeu *Tronum* conſtituebant; erat *Tronus* argentea Moneta denariorum quinque, & ſex granorum ad lancem Venetam ponderis, hanc primò cudere fecit Nicolaus, quam a ſuo agnomine *Tronus* voluit nominari. *Tronum* evulgatum habes tùm apud prælaudatum Comitem Carli Tab. VI. num. VII, cùm in mea ſupracit. Diſſert. Cap. IV. pag. 78. XXXI.

Trigeſimus ſecundus argenteus contra temporis edacitatem optime ſervatus nummus, a Nicolao Marcello primò cuſus eſt, quem a ſuo agnomine *Marcellus* dici voluit; Hujuſce pondus ſiliquas quindecim, & tres granos redit, eoque tempore pro decem Solidis Venetis, ſeu *Semilibra* expendebatur. Recurrit in prima nummi fronte Sanctus Marcus Duci in genibus flexo vexillum Reipublicæ porrigens, litteris hinc inde diſpoſitis. B. D. cum lemmate S. M. VENETI NI. MARCELL DVX, litteris ut in aureo Ducato expoſitis. In poſtica oſtenditur Chriſti in Cathedra ſedentis imago, elevata dextera ad benedicendum, ſiniſtra Evangeliorum librum ſuſtinentis, additis per gyrum litteris TIBI LAVS ʒ GLORIA. Nicolaus Marcellus Dux renuntiatus Anno Chriſti MCCCCLXXIII., quintodecimo Regni menſe deceſſit. XXXII.

XXXIII. Emortuo Marcello, a Senatu Petrus Mocenicus Anno MCCCCLXXIV. ſubſtituitur, a quo trigeſimus tertius argenteus nummus 63 granorum ponderis ſignatur. Exhibet in antica Divum Marcum Evangeliſtam vexillum Duci in genibus flexo, litteris hinc inde locatis P. M., porrigentem, ſub antiqua epigraphe S. M. VENETI PE. MOCENICO. In adverſa eminet Chriſti imago in Cathedra ſedentis, dextera benedicentis, ſiniſtra librum ſuſtinentis, cum lemmate GLORIA TIBI SOLI, hiſce ex Cathedræ lateribus diſpoſitis litteris IC XC nempe *Jeſus Chriſtus*.

XXXIV. Trigeſimus quartus argenteus nummus ad Andream Vendraminum Ducem dictum Anno MCCCCLXXVI. ſpectat. In prima hujuſce facie repræſentatur Ducis effigies Cornu redimita, a Divo Marco vexillum excipientis, litteris hinc inde diſpoſitis I. G. Præfecti Officinæ Monetariæ nomen, cum epigraphe S. M. VENETI AND. VENDRAMIN. In adverſa Salvatoris noſtri effigies in Cathedra ſedentis, & lemma, uti in XXXIII.

XXXV. Trigeſimus quintus aureus nummus percuſſus eſt ſub Joanne Mocenico, ad Ducalem dignitatem evecto Anno MCCCCLXXVII; hunc invenies conſueto Aurei Ducati excalptum typo, nomine tantum Ducis mutato.

XXXVI. Trigeſimus ſextus argenteus nummus *Trono* in pondere ęquipollens, a Venetis *Libra*, ſeu *Mocenicus* tunc vocitatus, quorum ſex, & quatuor Solidi Aurei Ducati vulgo *Zecchino* pretium ęquabant, ſub Auguſtino Barbadico, qui Ducalem iniit dignitatem Anno MCCCCLXXXVI. cuſus eſt. Oſtendit hic in prima fronte Barbadici effigiem in genibus flexi, vexillum a Divo Marco accipientis, cum his vocibus in circuitu AVG. BARBADICO. S. MARCVS. VENET. In poſtica Salvatoris imago ſtantis, dextera benedicentis, ſiniſtra Orbem ſuſtinentis, & lemma, GLORIA TIBI SOLI; in imo M. D. Præfecti Monetariæ Officinæ nominis, & agnominis litteræ initiales.


XXXVII. Ad eundem Barbadicum ſpectat trigeſimus ſeptimus argenteus nummus, in quo obſervatur ipſius Ducis effigies in genibus flexi, a Divo Marco vexillum accipientis, litteris hinc inde locatis P. B. in circuitu AVG. BARBADICO S. M. VENETI. Reliqua uti in nummo XXXIII.

Poſt

Post elatum Barbadicum, eligitur Leonardus Lauredanus, sub XXXVIII
cujus Imperio trigesimus octavus nummus percutitur, in quo repræsentantur ejusdem Ducis, & Divi Marci imagines, nec non & reliqua uti in XXXIII. Sub hujusce Ducis Principatu, in Venetos omnibus prope Europæ Principibus Cameracensi fędere conspirantibus, tota terrestri Reipublicæ Ditione, Utino, ac Tarvisio demtis, Fęderati brevi potiti sunt, at versa fortunæ alea Urbes pari celeritate, qua amissæ, a Venetis recuperantur.

In trigesimo nono argenteo nummo ostenditur ejusdem Lauredani in genibus flexi imago, ab Evangelista Marco sedente vexillum accipientis, cum familiari inscriptione S. MARC. VENETI LEO. LAVRE. DVX; in inferiori nummi parte D. G. Pręfecti Monetarii nominis, & agnominis, qui uno tantum anno perdurabat, litteræ initiales. In postica Christi Domini sedentis effigies, dextera benedicentis, sinistra librum sustinentis, cum lemmate GLORIA TIBI SOLI. XXXIX.

Pro Venetorum nummorum coronide, placet hic æreum penes me servatum nummum exhibere, a Veneta Republica Tarvisi signatum; at sub quo Duce, ignotum. In hujus prima fronte repræsentatur Sancti Liberalis Tarvisii Patroni stantis imago, dextera gladio innixi, sinistra vexillum sustinentis, & in margine S. LIBERALIS TARVIXI. Postica præfert Leonem Venetum, & epigraphen S. MARCVS VENETI. XXXX.



VII

VIII

IX

X

XI

XII

XIII

XIV

XV

XVI

XVII

XVIII

XIX


XIX




XX




XXI




XXII




XXIII




XXIV




XXV




XXVI




XXVII




XXVIII




XXIX




XXX




XXXI

XXXI




XXXII




XXXIII




XXXIV




XXXV



XXXVI




XXXVII





XXXVIII




XXXIX




XXXX



VERO-


# VERONÆ.

DEfunctus morosa Venetorum nummorum explicatione, ad Veronæ percussos descendo, quorum tres æreos, absque ulla inscriptione signatos, expono. In horum primis frontibus repræsentatur Scala, gentilitium Scaligerorum stemma. I.
A tergo, in primo apparet Crux affabre elaborata; in secundo Lilium; in tertio Icon tesseraria, in qua tres Lunulæ in II.
fascia impressæ, ac versus dexteram flexæ observantur, quo Anno, & sub quo Regulo percussi, incertum. Cęterum Scaligeros, post Actiolini Tyranni mortem, qui Urbem per Annos III.
tres & triginta gubernaverat, communibus Civium suffragiis Vicariorum, ac Principum titulo, Anno Christi MCCLIX. Veronæ dominari cępisse, ac centum & viginti octo regnasse annos, ex Historicis colligitur. Horum primus Mastinus fuit ex Albertino natus; postremus Antonius, qui una cum Bartholomæo Fratre inito Principatu, solus regnandi studio incensus, Fratrem proditorie enecavit, quo scelere a Guilelmo Bevilaqua Fratrum Tutore objurgatus, eum honoribus, ac bonis expoliatum rejecit. Omnibus tandem exosus, conspiratione a Joanne Galeatio Mediolani Duce, qui ei in Principatu successit Anno MCCCLXXXVII, in eum concitata, Verona relicta, Venetias confugit, ibique miserrime mortem oppetiit.

I II




III




VI-

# VIGLEVANI.

I. VEronensibus brevi examinatis nummis, subsequuntur Viglevani signati, quorum primus argenteus ostendit Trivultiorum Stemma, cum litteris in limbo. IO. IA. TRIVL. MAR. VIGLE. ET. F. MARE; nempe *Joannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani*, & *Franciæ Mareschalcus*. A tergo Sancti Georgii peditis effigies, lanceam in Draconis gulam immittentis, cum inscriptione, SANCTVS GEORGIV. Sfortia ab Ludovici Francorum Regis armis, Anno MID. e Mediolanensi Ducatu pulso, Rex Joanni Jacobo Trivultio celeberrimo illius ævi exercituum Imperatori, ob ejus in hoc bello egregiam navatam operam, Viglevanum insigne tunc temporis agri Mediolanensis Oppidum, modo verò Civitatem Episcopalem in Feudum, addito Marchionis titulo, tradidit, quo tempore hoc in loco, Monetæ primò cusæ sunt. Cæterum Trivultius, cum multa ad Gallici nominis gloriam præclara gessisset, totiesque de hoste palmam retulisset, a Lotrechio ei infenso, contra fas ad Regem accusatus, atque ad dicendam Causam media hyeme in Galliam evocatus, ingenti animi dolore concepto, apud Carnutes interiit.

II. Ad Franciscum Trivultium Jo: Jacobi Nepotem spectat secundus argenteus nummus, in quo exhibentur hujusce familiæ Insignia cum casside, cui insidet Sfinx manu chartulam tenens, additis in circuitu his vocibus FRANCIS.Œ. TRIVL. M. VIGLI. 3. Œ.; idest *Franciscus Trivultius Marchio Viglevani*, & *cętera*. In postica Sancti Georgii, Equo insidentis, imago, Draconem transverberantis, cum inscriptione SANCTV GEORGIVS.

I II




VO-

## VOLATERRÆ.

VOlaterram priſcis temporibus ſuos cuſiſſe nummos, ex hoc argenteo, cujus Iconem hic apponi ſtuduimus, certe quidem dignoſcitur. Hunc ad illum Raynerium ſpectare autumo, qui Anno MCCLI. Volaterræ fuit Epiſcopus renuntiatus; viſitur enim in antica ſtantis Epiſcopi effigies, cum his vocibus in circuitu EP*iſcopus* RANERIVS. In poſtica Crux, & lemma DE VVLTERRA. I.

I



## URBINI.

PRimus argenteus ære mixtus nummus oſtendit in area Sancti Creſcentini Martyris, Urbis Patroni, effigiem, cum circumducta epigraphe S. CRESENTIN. In gyro adverſæ partis legitur de VRBINO: in area ſtat Monogramma grandioribus Longobardis litteris compactum, enigma mihi, quod feliciorem Œdipum requirit. I.

Ad Guidonem Ubaldum ſpectat ſecundus æreus nummus, II. cujus protome in antica viſitur his circumſcripta litteris GVIDVS VB*aldus* VRBINI DVX. In poſtica gentilitium hujuſce Familiæ ſtemma, cum lemmate DE FOROSEMPRONIO. Urbini cum diu Comites Montis Feltrii ſub Vicariorum titulo, Principatum tenuiſſent, tandem a Xyſto IV. Pontifice Fridericus Anno MCCCCLXXVIII. Ducali prærogativa condecoratus eſt. Hic Foroſempronio a Galeatio Malateſta Anno MCCCCXLV., ut legere eſt apud Franciſcum Adamum de rebus geſtis in Civitate Firmana Lib. II. Cap. XCIX., coempto, auxit Dominatum, Urbinumque, optimis, ac rarioribus referta libris Bibliotheca, illuſtravit; quo vita functo, Guido Ubaldus filius ſucceſſit Anno MCCCCLXXXII. ſub cujus imperio, ſuperexpoſita Moneta ſignata eſt.

III. In tertii argentei nummi limbi ſummitate oſtenditur exiguum ſcutum, Urbini Stemma, ſubſequentibus vocibus GVIDO VB*aldus* VRBINI DVX; in medio ejuſdem Principis gentilitia Icon. A tergo Sancti Creſcentini ſtantis effigies, dextera vexillum ſuſtinentis, utraque planta Draconem calcantis, circumducta hac inſcriptione S. CRISCIN. ORA PRO. N; nempe *Sancte Creſcentine ora pro nobis*. Guidubaldus ad Principatum evectus, quamplurimas calamitates a Cęſare Borgia perpeſſus eſt. Vafer enim Tyrannus ſcelerata imperii cupiditate incenſus, cum arma in Camertes inferre inſimulaſſet, ab Urbinate muralibus tormentis, auxiliaribuſque Copiis, amicitiæ jure impetratis, de repente in Urbinum movit. Eo modo proditus Feltrius, e Tyranni manibus vix elapſus, ementito habitu Mantuam, deinde Venetias ſe contulit. Cæterum cum non paulo poſt Urſinæ Gentis ſtudio, Principatum recuperaſſet, iterum ad fugam capeſſendam, atque ad Alexandri VI. uſque obitum exulare cogitur; quo tempore Urbinum repetens, a Populis ſummo honore exceptus, quinquennio poſt in fata conceſſit.

IV. Sub eodem Guidone quartus æreus nummus cuſus eſt, in quo obſervatur Strutiocamelus hiſce vocibus circumſeptus GV. VB DVX. URB; hoc eſt *Guido Ubaldus Dux Urbini*. A tergo Urbini Stemma cum epigraphe CIVITAS URBINI.

V. Quintus argenteus nummus præfert in area Familiæ Roboreę Inſignia, additis in circuitu his vocibus FRA. MA. VRB. DVX; ſcilicet *Franciſcus Maria Urbini Dux*. Altera ex parte viſitur Sanctus Creſcentinus Equo inſidens, ac Draconem lancea tranſverberans, litteris per gyrum poſitis S. CRIS. ORA PRO N.; hoc eſt *Sancte Creſcentine ora pro nobis*. Hic eſt Franciſcus Maria, ex Joanne Julii II. Pontificis fratre, & Joanna Guidonis Ubaldi Urbini Ducis Sorore, natus, qui poſt Avunculi improlis mortem, jure hæreditario adoptionis, ac Maternæ Dotis nomine Urbini Ducatum obtinuit. Hujuſce adoptionem curaverat, ac confirmaverat Julius, quamvis ſupereſſent Agneſinæ, Guidonis pariter Sororis, Filii, ex matrimonio per eam inito cum Fabritio Columna, ſuſcepti, ad quos æque dimidiam ejus Ducatus hæreditatem jure ſpectare contendebatur.

VI. In area ſexti argentei nummi, ad eundem Franciſcum ſpectantis, demonſtratur Aquila expanſis alis, & inſcriptio FRANC. MA-

MARIA. Poſtica hiſce litteris in margine inſcripta eſt DVX VRBINI, in medio F. M. cum corona ſuperpoſita; nempe *Franciſcus Maria*.

In antica ſeptimi æręi nummi oſtenditur Urbis Stemma, VII.
cum inſcriptione CIVITAS VRBINI. A tergo extollitur Quercus Roverei Gentis Teſſerarium Scutum, atque additur Lemma FRANC. MARIA.

Octavus argenteus nummus repręſentat Aquilam, Solem reſpi- VIII.
cientem, & epigraphen FRANC. MA. DVX VRCINI. A tergo oſtenditur Sanctus Thomas in genibus flexus, in latus Domini digitum immittens, cum inſcriptione CREDERE TVTIVS.

Nonus æreus nummus præfert in medio gentilitium Mediceo- IX.
rum ſtemma, his vocibus circumſcriptum LAV*rentius* MEDICES DVX. In adverſa VRBINI litteris in quercea corona exaratis.

Ad eundem Laurentium pertinet etiam decimus æreus num- X.
mulus, in cujus areola obſervantur Medicei Familiæ Inſignia, cum epigraphe LAV. M. DVX; hoc eſt *Laurentius Medices Dux*. Poſtica præfert Urbini ſtemma, & lemma CIVI*tas* VRBINI. Franciſco Maria, ut diximus in nono Piſaurenſi nummo, Cardinalis Alidoxi cæde, aliiſque inquinato noxis, a Leonis X. armis e Principatu pulſo, Laurenzino Nepoti Ditio conceditur, addito Ducis titulo, a quo hi duo nummi ſignati ſunt. Cæterum Laurenzinus foris ab Urbinate armis vexatus, intus lenta febre cruciatus, poſt duos Imperii annos in juventutis flore evanuit; nec multo poſt Leone etiam ſublato, Franciſcus pacificam amiſſi Principatus poſſeſſionem, Gallorum ope recepit. Reliquos porro nummos a Guidone Ubaldo Franciſci filio Urbini, ac Piſauri percuſſos; nec non Mutinenſes, & Regienſes ſub Hercule II.; Mantuanos ſub Friderico II, & Franciſco filio; Parmenſes ſub Aloyſio Farneſio, & Octavio filio; Mirandulanos ſub Galeotto II, & Ludovico filio ſignatos, alioſque quamplurimos in meo Muſæo ſervatos, utpotè recentiores, & ultra inſtitutum noſtrum procurrentes, omiſimus.

I




II




III.

III




IV




V




VI





VII




VIII





IX




X



---

## PRÆ CÆTERIS CORRIGENDA.

*Pag.* 6. *lin.* 31. *lege* : ei Blanca ⩵ *pag.* 18. *lin.* 26. : Aprutii ⩵ *pag.* 19. *lin.* 29. Regi ⩵ *pag.* 25. *lin.* 31. : implorat ⩵ *pag.* 26. *lin.* 14. : gessere ⩵ *pag.* 26. *lin.* 24. : perduellionis ⩵ *pag.* 35. *lin.* 14. : progressus est, idcircò ⩵ *pag.* 54. *lin.* 20. : voverat ⩵ *pag.* 54. *lin.* 36. : *ni fallor* ⩵ *pag.* 78. *lin.* 18. : Hierosolymitanum ⩵ *pag.* 83. *lin.* 2. : suffocato ⩵ *pag.* 84. *lin.* 9. *post* sublato *adde* : a Ballionio iterum occupata ⩵ *pag.* 101. *lin.* 17. : provoluto ⩵ *pag.* 102. *lin.* 4. : FRA. DANDVLO.

III IV

V VI

VII VIII

IX X

---

PRÆ CÆTERIS CORRIGENDA.

[illegible]

[illegible] FRA. HABERTUS.